Dubl.

Ed. Fraenkel

DE HIATU PLAUTINO

QUAESTIONUM

PRIMA PARS

QUA AGITUR DE HIATU QUI FIT IN THESI.

SCRIPSIT

ERICUS BELOW.

BEROLINI
APUD WEIDMANNOS
MDCCCLXXXV.

IOHANNI VAHLENO

PRAECEPTORI CARISSIMO

SACRUM.

De hiatu Plautino quaestiones.

T. Macci Plauti codices cum satis multos versus praebeant, in quibus hiet oratio, existit quaestio subdifficilis, sintne traditi hiatus in poetae fabulis relinquendi necne. Atque haec quaestio per se diiudicari non potest, sed ratio habenda est et populi et aetatis et ex parte ipsius poetae. De Plauti consuetudine nullum certum testimonium nos edocet. Extat sane ille M. Tulli Ciceronis locus, qui in libro Oratoris 44, 149 sq. de oratorum more loquendi haec tradit: *collocabuntur . . verba, . . ut inter se quam aptissime cohaereant extrema cum proximis, eaque sint quam suavissimis vocibus. . .* (150) *nam ut in legendo oculus, sic animus in dicendo prospiciet quid sequatur, ne extremorum verborum cum insequentibus primis concursus aut hiulcas voces efficiat aut asperas. quamvis enim suaves gravesque sententiae, tamen si inconditis verbis efferentur, offendent aures, quarum est iudicium superbissimum. quod quidem Latina lingua sic observat, nemo ut tam rusticus sit, qui vocales nolit coniungere.* Porro postquam de Graecorum usu pauca adtulit, paragrapho 152 pergit: *sed Graeci viderint; nobis ne si cupiamus quidem distrahere voces conceditur. indicant orationes illae ipsae horridulae Catonis; indicant omnes poetae praeter eos, qui ut versum facerent, saepe hiabant; ut Naevius: 'vos qui | accolitis Histrum fluvium atque algidam' et ibidem: 'quam numquam vobis Graii | atque barbari'. at Ennius semel: 'Scipio | invicte'. et quidem nos: 'hoc motu radiantis etesiae | in vada ponti'. hoc idem nostri saepius non tulissent, quod Graeci laudare etiam solent.* — Sed quid haec Ciceronis verba ad Plautum eiusque aetatem?

Primum quidem ex oratoris persona locutus hiatum damnat, id quod ex contextu verborum luculenter apparet. Et oratori facillimum est tali modo voces collocare, ne ullo loco hiatum efficiant: haud aeque poetae licitum est, quippe qui numeris non raro adstringatur. Iam vero Plauti iudicium *superbissimum* fuisse quis existimabit?

Deinde de sua aetate Tullius loquitur. Neque vero omnes aetates pari modo concursum vocalium perhorruerunt. Nam versus

Saturnii, perantiquus Italorum numerus, hiatum haud ita multo rarius quam synaloephen habent; ut in Scipionum elogiis Corp. inscript. Lat. I n. 30. 32, quorum illud ex V, hoc ex VI versibus constat, bis hiatur, ter vocales coniunguntur; in epigrammate Sorano (ibid. n. 1175) — sunt V versus — bis hiatur, semel eliditur; in IIII versibus tituli Mummiani (ib. n. 541), quamquam ineunte septimo saeculo inscriptus est, ter hiatur, bis eliditur; similiter in Livii Andronici Odysseae fragmentis X hiatus, XXI elisiones, in Cn. Naevii de bello Punico reliquiis XIII hiatus, XXIIII elisiones inveniuntur. Inde efficitur, ut vocalium concursus veterum Romanorum auribus molestus non fuerit. Quo modo qui subsequuntur poetae? Naevium in eo numero fuisse qui saepe hiarent, Ennium semel vocales non coniunxisse disertis verbis Tullius affirmat. Estne hoc verum? non est; nam in reliquiis poesis Ennianae multo saepius hiatum repperi; in arsi: Trag. 166.[1]) 227. 307; Satur. 35; fortasse Ann. 275; in thesi habes praeter illum locum a Cicerone laudatum (Ann. 321): Ann. 336. 486; Trag. 76. 363; Epigr. 1; fort. Trag. 188; Sat. 9.[2]) Ennii autem versus multo politiores sunt quam Naevii, quem in versibus Saturniis saepe hiasse supra vidimus; ex fabulis duo exempla Cicero posuit (Trag. 65 et 64); quibus addenda sunt: Trag. 38; Com. 53. 88. 110; haec in arsi leguntur; in thesi Trag. 62; Com. 18. 19. 21. 27. 52. 81. 96. 98. 115. Quid iam Plautus? Tullius aperte eum non nominat; sed cum Naevium Ennium exempli gratia adtulerit, non quod soli hiaverint, Plautus non minus recte cum Naevio eodem loco et numero habetur, quam cum iis, qui Naeviano more uti noluerunt[3]). An putabimus Plautum eadem licentia qua ante et post poetas usum non esse? Quin Ciceronis verba quae sunt in paragraphis 150 et 152 consideranti putandum est nullius fere poetae Romani versus umquam hiavisse. Quod longe aliter se habet; neque ipsa Tullii aetate poetae, et ii boni peritique, defuerunt qui nequaquam, ut Quintiliani[4]) verbis utar, hiatum ut crimen ingens expavescerent. Ut exempla proferam: C. Lucilii Saturarum libri exhibent vocalium concursus in his versibus[5]): 288. 872. 588. 656. 694. 699 (si cum Lachmanno dimetiris: *si* | *alia*); porro in thesi: 19. 34. 232. 339. 471. 484. 961; fort. 660[6]). In T. Lucretii De rer. nat. versibus hiatur 6, 716 et 743; praeterea saepe post vocabula monosyllaba; velut 2, 404. 617.

---

[1]) in Scaen. Rom. poesis fragmentis Ribbeckii (Lips. 1871 et 73), in Ennii Annal. Vahleni (Lips. 1854) rationem sequor.

[2]) ut omittam Trag. v. 26 ('med' Ribb. posuit); Sat. 38 ('tute' locum habet); emendati sunt Ann. 308; Trag. 306.

[3]) neque Ritschelius hoc negavit; v. Proleg. Trinummi p. 198 sq. Cf. Ussing Proleg. Plaut. vol. I p. 218; Bergk, Symb. ad gram. Lat. I: de exeunte d, Halis 1870 p. 108 sq. et 122.

[4]) Instit. orat. 9, 4, 35.

[5]) Luc. Sat. em. Lachmann. Ber. 1876.

[6]) emendati sunt hiatus in caesura facti 497 et 1141; dubitari potest de v. 33 et de v. 268, de quo v. Lachm. in Lucr. III 941 p. 194.

681; 3, 394. 1082; 4, 1061; 5, 7. 74; 6, 276. 740. 796 alia[1]). In Catulli Tibulli Propertii carminibus non modo interiectiones *o ah heu* non coniunguntur (ut Tib. 2, 3, 5. 49. 4, 7. 5, 108; 3, 4, 82; 4, 11, 3; — 2, 3, 2; 4. 13, 17; Prop. 2 (3), 33, 31 al.), sed etiam nomina; v.[2]) Cat. 66, 11; 68, 158; 107, 1; Tib. 1, 5, 33; Prop. 2 (3), 15, 1. 32, 45; 3 (4), 7, 49; in thesi: Cat. 55, 4; 57, 7; 97, 1; 114, 6; Prop. 3 (4), 11, 17; fort. Cat. 10, 27. Ac ne Horatius quidem hiando abstinuit; vide Carm. 1, 28, 24; Epod. 13, 3; praeterea *o* interiectio integra manet Carm. 1, 1, 2; 1, 35, 38; 4, 5, 37; Epod. 12, 25; Sat. 2, 3, 265; Epist. 1, 19, 19; 2, 3, 301 al. Idemque poeta versus in thesi hiulcos fecit hos: Epod. 5, 71. 100; Sat. 1, 9, 38; 2, 2, 28; Epist. 2, 3, 65[3]). Iam Vergilii carmina hiatum in arsi accidentem locis XXXXII (vel, si interiectiones non coniunctas adnumeravisti, XXXXVI), in thesi XIII (vel XIIII) praebent; Ovidius in Metamorphoseon libris ter decies (vel bis et vicies) in arsi, in thesi ter (vel quater) hiatum admisit[4]). Denique Ciceronem ipsum non semel hiavisse credendum est; in eodem De consulatu suo libello legitur (de Div. 1, 13, 22): *inque academia | umbrifera nitidoque Lyceo*, de quo versu disserit Lachmannus ad Lucr. III 374 p. 159.

Quae cum ita sint, id quod Cicero illo Oratoris loco exponit, non modo parum definitum est, quam ut inde colligi possit Plautum non hiasse, sed ne verum quidem est. Immo hunc poetam eadem hiandi licentia usum esse qua ceteros aliunde probabile fit.

Plautus enim ut fabularum argumenta, ita metra a Graecis petivit. Nec tamen eodem modo versus condidit; nam hi ex monometris, ille ex singulis pedibus versus trochaicos iambicosque composuerunt. Atque in hac re domesticam rationem servavit, qualem in versibus Saturniis traditam habemus. Ibi enim omnium pedum thesis neglegenter tractatur, ita ut aut ex syllaba brevi aut ex longa aut ex duabus brevibus constare, aut paenultima unius cuiusque hemistichii thesis omnino opprimi possit: eadem varietas in Plauti versibus accidit, nisi quod numquam plane deest thesis. Et alias res T. Maccii ars metrica ostendit, quae sine dubio Saturniorum propriae, inde ab eo petitae sunt. Illi versus vim positionis contemnunt; neque aliter hic poeta saepissime eam neglexit et in mediis vocibus et in binarum vocum concursu, neque umquam ante mutam litteram cum liquida brevem vocalem non corripit. Deinde et hic et illic breves syllabae in arsi positae producuntur. *Omnia sagmina atque neque namque alius capitibus* producta syllaba extrema in versibus Saturniis leguntur; apud Plautum invenias *omnia cetera oppida*

---

1) cf. Bouterwek, Lucretianae quaestiones grammat. et crit. Halis 1861 p. 41 sq.
2) cf. L. Mueller. Cat. praef. p. 77; Tib. praef. 31; Prop. praef. 50. — Emendati sunt Cat. 66, 48; 67, 44; 97, 2.
3) emendati sunt v. Carm. 2, 20, 13 et 3, 14, 11.
4) exempla Vergiliana et Ovidiana congessit Bieling, De hiatus vi atque usu ap. poetas epicos qui Aug. aetat. floruerunt. Lips. 1868.

venimus sinciput promere omnibus lampadibus alia [1]). De arsibus solutis dicere nolo, quippe quae non minus in Graecis quam in Saturniis versibus locum habeant. — Haec igitur omnia Plauto cum Saturniis consociata sunt. In his autem versibus multa hiatus exempla ante oculos habuit: num mirum est ipsum quoque quibusdam licentiis in hiatu admittendo usum esse?

Et in genere sermonis usitato vocalium concursum minime evitatum, nedum evitandum fuisse eiusdem Oratoris libri capite XXIII Tullius probat, cum de oratore quem solum quidam vocant Atticum haec prodit: (23, 76) *summissus est et humilis et consuetudinem imitans, ab indisertis re plus quam opinione differens* . . . (77) *primum igitur eum tamquam e vinculis numerorum eximamus* . . . *solutum quiddam sit nec vagum tamen, ut ingredi libere, non ut licenter videatur errare. verba etiam verbis quasi coagmentare neglegat. habet enim ille tamquam hiatus concursu vocalium molle quiddam, et quod indicet non ingratam neglegentiam de re hominis magis quam de verbis laborantis.* — Si haec ei oratori *liberiora* fuerunt, qui communem vitae usum imitatus sit: quid? Plauto, ipsi quoque vitae consuetudinem non imitanti, sed ut ita dicam agenti, eadem licentia non dabitur? Quin in iis fabularum partibus, quae a prosa oratione quam proxime abesse solent, in epistulis dico interpositis, paulo saepius quam in sermonibus hiari videtur [2]).

Accedit quod qui argumenta et prologos fabularum scripserunt, eadem hiandi genera quae ipse Plautus admittunt, nisi quod ea licentia immoderatius utuntur. Atque viri docti dubitant, an his scriptoribus hiatus tribui possit [3]). Prologi autem et argumenta posterioris aetatis sunt, qua hiari magis magisque desitum est. Inde igitur colligi posse puto hos scriptores hiatum in Plautinis fabulis haud raro invenisse eamque ob causam, ut ipsorum oratio antiquior evaderet, ab illo accepisse.

Denique ipsum Tullium in carminibus scribendis semel atque iterum vocales non coniunxisse constat. In hoc autem scriptore ut in Vergilio [4]) aliisque id excusant, quod aut vocabula Graeca posuerint in versibus aut in eo carmine hiaverint, quod sermone Latino interpretati sint, ita ut hiatus Graeci admonere velint. Si autem ob eam rem hiare licitum erat, quid? in Plauto, qui ipse Graecas fabulas Graecis numeris vertit, nonne prorsus eadem excusatione utemur?

Vel haec summa meditatio docet mirum non esse, si Plautus priorum auctoritatem secutus ab hiatu non abhorruit. Quatenus

---

[1]) exempla conlata habes in CFG. Muelleri Prosodia Plautina (Berol. 1869) p. 11 sq., 57, 80, 22 sq.; huc accedunt Supplem. prosod. Plaut. (Ber. 1871) p. 5 sq.

[2]) v. Uss. Prol. Pl. vol. I p. 218 cum adnot.

[3]) v. Uss. Prol. p. 150; Ritsch. Opusc. phil. II Lips. 1868 p. 414 sq. Cf. Ritsch. Prol. Tr. p. 319.

[4]) v. Bieling l. l. p. 60.

autem eum admiserit quasve leges in admittendo servaverit, ex codicibus Plautinis discere et possumus et debemus. Id enim unicum in hac re testimonium habemus; cui si fidem vellemus abrogare, ipsi nobis quasi fundamenta everteremus. Est sane concedendum fabulas, quo modo traditae nobis sunt, nequaquam integras esse, id quod ex Ambrosiani libri cum Palatinis collatione elucet. Atque ipsum vocalium concursum Rescriptus interdum removit; quamquam non desunt loci — totidem fere sunt[1]) — quibus hic codex servaverit, Palatini sustulerint hiatum. Neque vero ulla ratione per hos tam paucos locos nobis liberum est infinitam ceterorum copiam, quibus omnium librorum testimonio hiatus firmantur, corruptam putare. Immo Ritschelius prorsus improbandus est, qui in Prolegomenis Trinummi (p. 187 sq.) hiatum angustissime coercuit. Nam praeterquam quod ipse hic vir doctus postea[2]) sibi persuasit se longius progressum: omni caret probabilitate tot locos mutare; deinde Ritschelius non ab exemplis leges repetiit integro iudicio, sed opinione praeiudicata rem aggressus est, quia illud Ciceronis ad Plautum pertinere existimabat, de quo quae nobis videantur supra exposuimus. Propius ad verum accessit Spengelius[3]), cum codicum auctoritate usus easdem fere quas G. Hermannus[4]) leges constitueret: in caesura trimetri iambici semiquinaria non minus quam in legitima tetrametri trochaici cretici bacchiaci hiatum veniam prorsus legitimam habere; porro relinquendum eum esse omnibus iis locis, quibus pronuntiandi continuitas sententia intermittatur, ut in mutatione personarum, in exclamationibus, in appellationibus, post fortem distinctionem al. In hisce rebus verissime traditam scripturam servavit Spengelius. Idem vir doctus negavit in thesi syllabam longa vocali vel littera m finitam usquam hiatum recipere, nisi monosyllabum vocabulum esset; in arsi legitimum hiatum fieri post monosyllabas voces in longam vocalem vel in m consonam cadentes, dum priorem syllabam arsis in duas breves solutae efficerent[5]) — et post iambicas, quae in hiatu pyrrhichium facerent. Atque num Spengelius in his rebus nimius fuerit, neque tam angusti fines constituendi sint, disputatiuncula mea explicare conabor; nam mihi proposui codicibus diligenter examinatis has duas res in quaestionem vocare,

I. num theticae vocales longae in hiatu correptae sint;

II. num Plautus iis vocibus bisyllabis, quarum vocalem extremam et brevem et longam facit, ante sequentem vocalem pro pyrrhichiis usus sit. Cum autem de metris anapaesto cretico

---

[1]) hoc ex exemplis infra adlatis apparebit; cf. Geppert, de cod. Ambr. Lips. 1847 p. 43; Stud. Plaut. I Ber. 1870 p. 120 sq.

[2]) v. cum Men. praef. p. 10 sq., tum Nov. exc. Plaut. I Lip. 1869 p. 120 sq.

[3]) in extremo libro T. Maccius Plautus, Goett. 1865.

[4]) Elem. doctr. metr. Lips. 1816 p. 190 sq. al.

[5]) hanc legem constituit Bentleius Sched. de metr. Ter. p. XIIII extr. editionis Terentianae (a. 1726 Cantab.)

bacchiacoque singillatim quaerendum sit, hoc loco ea exempla excutere satis habebo, quae in iambicis trochaicisque versibus inveniuntur[1]).

Haec disputatiunculae meae praemittere volui, ut quid de summa quaestionis sentirem in universum patefieret. Sed ab argumenti antelogio — ut Plautino verbo[2]) utar — ad argumentum venimus, atque priore loco quaerimus, num in thesi longae vocales vel diphthongi ultimae a Plauto non coniunctae, sed ante subsequentem vocalem correptae sint. Qua in quaestione de monosyllabis et de polysyllabis vocabulis separatim disputabitur.

CAPVT I.

De monosyllabis vocabulis.

Monosyllabae igitur voces in thesi facile hiatum recipere neque cum insequenti vocali coire, hoc alii viri docti intellexerunt. Hermannus in Bacchidum recensione[3]) eos hiatus defendit, cum in anapaestis versibus prior syllaba thetica esset monosyllabum longa vocali finitum, quod ante sequentem vocalem corriperetur[4]); neque hoc Ritschelius (Prol. Trin. p. 203) impugnavit. Tales autem correptiones cum hiatu iunctas non minus in trochaeorum iamborumque thesibus admissas esse Fleckeisenus, cum de Ritschelii Prolegomenis iudicium faceret, demonstravit[5]); ita tamen hunc hiatum circumscripsit, ut insequentem syllabam brevem esse debere contenderet. At vere Spengelius (Plaut. p. 210 sq.) monuit, quod ad rem spectaret, nihil omnino interesse, utrum ex longa syllaba an ex duabus brevibus arsis constaret; ac ne si esset quidem, ut Fleckeiseni lex usu Plautino confirmaretur, consulto aut cogitatum id fieri putandum esse, quod nulla huius rei iusta causa adferri posset. Qua re cum libri arsi non soluta correptionem etiam saepius praebeant, illam exceptionem cum Spengelio reiciemus.

Restat ut huius hiatus exempla conferam[6]). Corripiuntur igitur monosyllaborum hae vocales longae et diphthongi:

e i o u ae oi;

huc accedunt ea verba quae exitum habent in

am em om um.

---

1) Fabulas omnes lectitavi, quae quidem ad hoc tempus ab Ritschelio (Pl. com. I—III 2), a Loewio Goetzio Schoellio (I—II 5), ab Ussingio (I—IIII 2) editae sint. Praeterea in usum meum verti: Capt. ed. Sonnenschein, Lips. 1880; Men. ed. Vahlen, Ber. 1882; Mil. glor. em. adn. Ribbeck Lips. 1881; Truc. ed. ill. Spengel, Goett. 1868.

2) Men. prol. 13.

3) Lipsiae a. 1845 emissa.

4) v. Spengel. Symb. ad emendanda metra Plaut. Berol. 1882 p. 321 sq.

5) Iahnii Annal. vol. 61 a. 1851 p. 49 sq.

6) cf. Speng. Plaut. p. 211 sq.; Muell. Pros. 726 sq.

1. De e vocali.

In e cadunt haec vocabula: *de ne re*, quibus fortasse *me te se* addenda sunt.

De cum hiatu positum his locis libri exhibent: Amph. 2, 2, 104: *vera dico. — Non de hac quidem hercle re*; *de | aliis nescio*; Asin. 3, 3, 116: *demam hércle iam de | hórdeo, tolútim ni badissas.*

Coniunctio *ne* non eliditur Bacch. 3, 6, 15: *sibi ne | invideatur, ipsi | ignavi recte cavent*; Capt. 4, 4, 4: *quasi lupus esuriéns, metui ne | in me faceret inpetum*; Mil. 4, 1, 36: *placet ut dicis*; *sed ne | istam amittam et haec mutet fidem*, ubi Brixius aptissime *et* interponit; Mil. 4, 6, 19: *ne | óculi eius senténtiam mutént, ubi viderit me*; Most. 3, 1, 9: *ne | hoc senex resciscat. ibo huic obviam.* — Neque aliter particula *ne* hiatum recipit Epid. 3, 3, 25: *edepol ne | istam temperi gnato tuo*; et, nisi *illunc* formam praefers, Asin. 5, 2, 19: *tace modo*; *ne | illum ecastor miserum habebo. — Ego istuc scio.* Nec tamen huc referendum est cum codice Ambrosiano Bacch. 3, 4, 4: *ne | illa id hercle cum malo fecit suo*, in quo versu cum ceteris libris scribemus *ne illa illud hercle.*

Iam ablativus *re* non coniunctus duobus locis defenditur Asin. 1, 3, 71: *si papillam pertractavit, haud est ab re | aucupis*; Truc. 1, 1, 26: *bis perit amator, ab re | atque animo simul.* — Nihil valet Mil. 5, 12: *dic. — Oratus sum, ad eam ut irem. — Qua re | ausus? em tibi*; nam *qua re* in interrogatione recta positum non iniuria offendit; qua de causa *quor ire ausu's?* Seyffertus [1]), *exquire rem sis* Bergkius scribenda coniecerunt.

His exemplis Fleckeisenus Spengelius *me te se* et accusativos et ablativos adnumerant. Ritschelius autem, cum haec pronomina omnibus locis, quibus arsim explent subsequente vocali, *med ted* scribantur necesse sit [2]) — quae formae in ipsis libris saepius exhibentur [3]) —, in thesi quoque *med ted sed* ponere non dubitavit: neque codices repugnant, qui *med ted* in thesi haud minus quam in arsi tradunt (v. Bergk. Symb. p. 45 cum adn.). Utri recte fecerint, hodie diiudicare non licet. Immo utramque opinionem et suadere et dissuadere possumus. Nam in metro anapaesto *me* al. corripi certum est; velut cum Pseud. 4, 1, 34 *te | amo et* vel Bacch. 5, 2, 75 *te | ama-*anapaestos pedes efficiunt; — neque vero minus certum *med* pro longa syllaba esse; vide Bacch. 5, 1, 8 al. Similiter in baccheis non modo *med ted* reperiuntur (ut Bacch. 4, 3, 7), sed etiam *me* correptum; nam in hoc pede *me | haec ver-* non dubitabimus *me* cum hiatu legere (cf. Uss. ad Aul. 120). Atque in ipso senario iambico probantur et improbantur *med ted* formae.

---

[1]) v. Stud. Plaut. Ber. 1874 p. 21.

[2]) v. Ritsch. Nov. exc. Plaut. 1, 34 sq. Easdem formas Ennius Trag. 142; Epich. 1 (de quo v. Vahl. Mus. Rhen. 16 a. 1861 p. 582) in arsi collocavit; cf. Ritsch. p. 53 sq.

[3]) v. Ri. l. l. p. 21 sq.

Poetae enim Comici secundum illam legem, quam Bentleius in Hor. Serm. 2, 5, 79 observavit, in quinta senarii sicut in sexta trochaici septenarii sede brevem thesim quam maxime fugerunt. Si igitur illa pronomina paenultimam thesim explent, valde arrident Ritschelii formae, quibus longa syllaba in thesi restituitur. Ex contrario non desunt loci, quibus illi legi non satisfit, nisi *me* corripitur; velut cum poeta *ad me | epistulam* (Truc. 2, 4, 43) aut *ut se | amet potest* (Poen. 1, 2, 77) in extremis versibus ponit[1]). Denique Ritschelio, ut sibi constaret, hae formae deformes *sesed memed* fingendae erant (Nov. exc. 1, 51 cum adn.). Quae cum ita sint, in his quidem exemplis ego lineola posita eum locum significari volo, quo aut hiari aut d littera adscribi possit. Exempla autem haec sunt[2]):

In prima senarii thesi leguntur Bacch. 2, 3, 123: *me | et Mnesilochum. quas ego hic turbas dabo!* (*med* cod.); Mil. 2, 6, 37: *me | expurgare haec tibi videtur aequius;* Vetus habet *mea* h. e. *med*; Ritschelius Opusc. II 431 *expurigare* voluit. Incerti sunt duo versus: Bacch. 4, 9, 97: *me | obiurgavit plurumis verbis malis*; Pers. 1, 3, 87: *me esse effecturum hodie. nimis longum loquor;* nam in hoc melius in caesura hiatur, in illo Ritschelius (Opusc. II 428) *obiurigavit* posuit.

In altero pede Asin. 1, 1, 5: *si quid me | erga | hodie falsum dixeris* (*med* libri); Men. 5, 1, 10: *quae res te | agitat, mulier?* — *Etiamne inpudens*; Mil. 1, 1, 58: *amant te | omnes mulieres, neque iniuria*, in quo versu voc. *iniuria* correpta prima syllaba pronuntiandum est; neque aliter *esse* in v. Pseud. 4, 4, 5: *quoiam te | esse vis maxume, ad eum duxero*; Stich. 3, 2, 33: *scis tu me | esse unum imi subselli virum,* ubi *unum imi* Ritschelius edidit, libri scripti exhibent *uni*; Truc. 2, 4, 46: *bona sua me | habiturum omnia [esse].* — *Ausculto lubens*[3]) — Eximendus est: Men. 5, 1, 13: *rogas me? ⟨o⟩ hominis inpudentem audaciam.*

Porro in legitima senarii incisione *me te* collocantur: Amph. 3, 2, 42: *per dextram tuam te, | Alcumena, oro, obsecro*; Ussingius *dexteram* in textu posuit: postea (ad Curc. 307) *dextram* expressum mavult. Aul. 2, 4, 27: *sic mihi te ut tibi me | aequomst, credo, credere*; Curc. 1, 1, 17: *caruitne febris te | heri vel nudiustertius*; Curc. 3, 16: *edepol ne ego hic me | intus explevi probe*; Men. 3, 3, 21 et 22: *da sodes abs te: | ⟨ego⟩ post reddidero tibi.* — *Immo cedo abs te: | ego post tibi reddam duplex*; Men. 5, 1, 37: *ut veniat ad me: | ita rem | esse dicito*; Ritschelius hiatus expulit coniciendo *rem ⟨natam⟩ esse* .. Pseud. 1, 5, 71: *paritas ut a me | auferas?* — *Abs te auferam?* Pseud. 3, 2, 59: *fateor equidem me | esse coquom*

---

[1]) v. Luchs, Quaest. metr. (in Studemundi Stud. in prisc. script. Lat. collata I 1 Ber. 1873) p. 18 et Herm. 13 a. 1878 p. 504. Omnes eius generis locos in fine huius disputationis composui.

[2]) cf. Ritsch. N. exc. 1, 35 sq.; 45 sq.

[3]) v. Buecheler Annal. 105 a. 1872 p. 571.

carissumum; Pseud. 4, 3, 10: *ne deserat me* | *atque ad hostis transeat*; Stich. 3, 2, 48: *qua lege nunc me* | *essurire oporteat.* — Dubitationem habent duo versus, quos Ambrosianus sic prodit: Most. 3, 1, 80: *non edepol nunc me* | *istis verbis territas*; Poen. 5, 2, 93: *ergo hic apud me* | *hospitium praebebitur*; sed aptissime ceteri codices priore loco *tu* ante *istis*, altero *tibi* post *hospitium* inserunt. De Stich. 5, 2, 20 infra dicetur.

Quarti iambi thesim explent pronomina Pseud. 1, 5, 108: *studeo hercle audire; nam te* | *ausculto lubens* (*ted* in Vetere est); Truc. 1, 1, 72: *mihi verba retur dare se:* | *an me censuit.* Recte autem vocum *ad te* | *exeo* ordinem ita immutat Guyetus Bacch. 4, 6, 24: *manedum parumper*; *iam exeo ad te, Chrysale.*

Iam ad quintam senarii sedem venio: Aul. 3, 6, 46: *nunc hoc mihi factu est optumum, ut te* | *auferam*; Bacch. 4, 8, 68: *immo oro, ut facias, Chrysale, et te* | *obsecro* (Vetus et Alter Camerarii codices *ted*); Most 2, 2, 95: *atque Herculem invoca.* — *Hercules, te* | *invoco.*

Haec in senariis; plura exempla septenarii exhibent; in primo pede Bacch. 1, 1, 68: *bene me* | *accipis advenientem, mea soror.* — *Quid ita, obsecro?* Capt. 2, 3, 45: *neque me* | *umquam deseruisse te neque factis neque fide* (Vetus *med*)[1]; Capt. 3, 4, 120: *satin me* | *illi hodie scelesti capti ceperunt dolo*, de quo cf. Ritsch. N. exc. 1, 94; Schmidt, Quaest. de pronom. demonstr. form. Plaut. Ber. 1875 pag. 69. Epid. 4, 2, 16: *non me* | *istanc cogere aequomst meam esse matrem, si nevolt*; Men. 4, 2, 83: *viden te* | *ut scelestus captat? huic surruptast, non tibi*; Men. 5, 7, 45: *apud te* | *habitabo et, quando ibis, una tecum ibo domum*; Mil. 5, 28: *ut te* | *hodie hinc amittamus Venerium nepotulum*; Poen. 1, 2, 88: *bono me* | *esse ingenio ornatum quam auro, multo mavolo*; Poen. 5, 7, 21: *quid me* | *hac re facere deceat, egomet mecum cogito*; Geppertus ⟨*in*⟩ *hac re* scribi vult; sed Muellerus confert Pseud. 3, 1, 13, Lorenzius Cas. 5, 3, 1. Stich. 2, 2, 7: *ad me* | *et relinque egentem parasitum, Panegyris.* — Aut post primum aut post quartum pedem hiatur Asin. 2, 2, 80: *ait se ob asinos ferre argentum atriensi Saureae.* Emendatus est ab Ritschelio Men. 5, 2, 79.

In altero trochaeo haec habes: Amph. 1, 1, 278: *tu negas me* | *esse?* — *Quid ego ni negem, qui egomet siem?* (cod.: *med*); Amph. 1, 3, 13: *ego faxim te* | *Amphitruonem* | *esse malis quam Iovem*; Amph. 2, 2, 31: *ecastor me* | *haud invita se domum recipit suam*; Asin. 2, 2, 33: *quod pondo te* | *esse censes nudum?* — *Non edepol scio* (*ted* Vaticanus et Veteris altera manus praebent); Asin. 3, 1, 1: *nequeone ego te* | *interdictis facere mansuetem meis?* (*ted* in solo Vaticano extat); Merc. 5, 2, 86: *nunc si eo te* | *intro ducam.* — *Tollo ampullam atque hinc eo*; Stich. 5, 5, 15: *numquam edepol me* | *istoc vinces, quin ego ibidem pruriam* (*mé*, non *med* teste Goetzio Vetus). — In dubio relinquendus est v. Capt. 3, 4, 87:

---

[1]) cf. Brix. Annal. 101 a. 1870 p. 779.

sed hoc primum me | expurgare tibi volo, me insaniam, ubi *expurigare* Brixius edidit cum Ritschelio (Opusc. II. 431). — Certum est huc non referendum cum Ritschelio: Men. 1, 3, 24: *scin quid volo ego te accurare? — Scio, curabo quae voles*; nam *ego*, quod Ambrosianus omisit, post *volo* neglegentia potius praetermissum quam in ceteris libris consilio additum est. Neque cum Palatinis Poen. 4, 2, 63: *si | erus meus me | esse locutum quoiquam mortali sciat*, ubi Rescripti lectio *elocutum* perplacet.

In tertia septenarii sede *me* non coniunctum ponitur: Amph. 1, 1, 244: *nec nobis praeter me | alius quisquamst servos Sosia*; Amph. 1, 1, 279: *per Iovem iuro me | esse neque me falsum dicere* (*med* cod.); Aul. 3, 4, 6: *condigne etiam meus me | intus gallus gallinaceus*; Bacch. 1, 1, 27: *et ille adveniens tuam me | esse amicam suspicabitur* (in Decurt. et Vatic. *med*). — In eodemque numero Ritschelius (N. exc. 1, 38) posuit Poen. 4, 2, 67: *id esse facinus ex te | ortum. — Male credam et credam tamen*; sed vide infra ad Epid. 3, 2, 25 et Muell. Suppl. pros. p. 117 adn. 2.

Iam vero in caesura ejusdem versus pronomina integra manent: Amph. 1, 1, 228: *nam Amphitruonis socium nunc me | esse volui dicere*; Amph. 2, 2, 74: *hanc est obiurgare, quae me | hodie advenientem domum*; Asin. 1, 3, 11: *solus solitudine ego te | atque ab egestate abstuli* (*ted* cod.); Asin. 2, 2, 99: *defraudare*; *dixit sese | operam promissam dare*; Ritschelius N. exc. 1.51 de *seded* forma cogitat. Asin. 3, 1, 31: *hic dies summust apud me*; *| inopiae excusatio*; Aul. 3, 4, 3: *veluti Megadorus temptat me | omnibus miserum modis*; Capt. 4, 2, 51: *hic homo ad cenam recipit se ad me. | — Aperite hasce ambas foris*; Curc. 5, 3, 43: *tu me sequere. — Quo sequar te? | — Ad tarpezitam meum*; Men. 2, 3, 77: *eamus intro. — Iam sequar te*: *| hunc volo etiam conloqui*; Men. 5, 5, 39: *et ob eam rem in carcerem te | esse conpactum scio* (*ted* cod.); Men. 5, 7, 39: *sic sine igitur, si tuom negas me | esse, abire liberum*; hac dimensione dactylus pes in quarta sede evitatur. Men. 5, 7, 54: *id si adtulerit, dicam ut a me | abeat liber quo volet*; Merc. 3, 4, 26: *mulier alienatast abs te. | — Eutyche, capital facis*; Mil. 3, 1, 195: *sed quid ea usus est? — Ut ad te | eam iam deducas domum*; Mil. 4, 8, 60: *dicant servorum praeter me | esse fidelem neminem*; Mil. 5, 33: *si posthac prehendero ego te | hic, carebis testibus*; Pseud. 1, 3, 11: *ego abeam. — Mane, iam ut voles me | esse, ita ero. — Nunc tu sapis*; Pseud. 4, 2, 26: *hanc epistulam accipe a me*; *| hanc me tibi iussit dare*; Stich. 5, 4, 28: *bibe, si bibis. — Non mora erit apud me. | edepol convivi sat est.* — In quattuor versibus post *mihi hercle ego* non minus recte quam in caesura hiari alio loco exponam; sunt hi: Capt. 3, 4, 21: *et eum morbum mihi esse, ut qui me opus sit insputarier?* Epid. 2, 2, 8: *id ego excrucior. — Di hercle omnes me adiuvant, augent, amant*; Most. 2, 1, 18: *quid ita? — Pater adest. — Quid ego ex te audio? — Absumpti sumus*; Trin. 3, 1, 12: *postremo edepol ego istam rem ad me attinere intellego.*

In quinto septenarii pede his locis pronomina non eliduntur: Asin. 2, 2, 34: *scibam ego te nescire; at pol ego qui te* | *expendi scio*; Capt. 2, 2, 87: *fac, is homo ut redimatur.* — *Faciam. sed te* | *oro,* | *Hegio*; librorum scripturam *te id* in *ted* mutavit Fleckeisenus. Capt. 2, 3, 75: *quom me servom in servitute pro te* | *hic reliqueris*; Men. 5, 7, 34: *ergo edepol, si recte facias, ere, me* | *emittas manu*; Mil. 4, 5, 7: *etiam me? quo modo ego vivam sine te?* | — *Age animo bono* ⟨*es*⟩; Mil. 4, 8, 31: *bene quaeso inter vos dicatis et me* | *absenti tamen*[1]); Most. 5, 2, 53: *nihil opust profecto.* | — *Age iam sine te* | *exorarier.* — Eodem referendus est, si modo *illicinest* pro *illic queest* Muellerus recte restituit, Truc. 2, 7, 40: *novi hominem nihili: illicinest?* — *Illic est.* — *Me* | *intuitur gemens.* Neque aliter Pers. 5, 2, 73: *et post dabis sub furcis. abi* [*intro*] *in crucem.* — *An me* | *hic parum exercitum*, in quo vocem *intro* eici Schmidtius (de pron. dem. p. 25 sq.) iubet. — Dubia sunt haec exempla: Aul. 2, 2, 55: *et te utar iniquiore, et meus me ordo inrideat*; Truc. 4, 3, 78: *sed nimium pol opportuna eccam ab se egreditur foras*, quia eodem iure in incisione hiatus statuitur. Neque minus ambiguum iudicium est, cum *eunt* bisyllabum esse possit, v. Capt. 3, 4, 2: *nunc enimvero ego occidi*[2]); | *eunt ad te hostes, Tyndare.* Sed duo Poenuli loci excludendi sunt; quorum prior ex Ambrosiano sic adfertur: Poen. 1, 2, 127: . . *ibi me* | *ostendi volo*; recte tamen editores ceteros libros sequuntur, qui post *ibi* addunt *ego.* Posteriorem versum codices Palatini praebent Poen. 1, 2, 167: *quam ob rem, amabo, mea voluptas, sine te* | *exorarier*; sed cum Rescriptus *hoc,* non *te* exhibeat, viri docti *sine te hoc* reposuerunt, quemadmodum Poen. 4, 2 51; Trin. 2, 2, 97 al.

Ante ultimum creticum haec tria habes: Amph. 2, 2, 180: *obsecro ecastor, quor istuc, mi vir, ex te* | *audio?* Bacch. 4, 4, 88: *sycophantias conponit, aurum ut abs te* | *auferat*; Men. 5, 5, 37: *egomet haecte vidi facere*: | *egomet haec te* | *arguo.* — Aut *me* aut *cepi* vocalem extremam retinet Amph. 1, 1, 110: *et enimvero, quoniam formam cepi huius in me et statum.*

Restat ut ea exempla adscribam, quae in septenario iambico, in octonariis, in dimetro inveniuntur. In illo metro haec extant: Asin. 3, 2, 35: *ut adsimulabat Sauream me* | *esse quam facete!* Mil. 4, 6, 7: *audin quae loquitur?* — *Audio. quam laetast, quia te* | *adiit!* Mil. 4, 6, 52: *illa ad nos pergit.* — *Vos volo.* | — *Et nos te.* | — *Ut iussisti.* — Huc spectare non videntur: Asin. 3, 3, 43: *argenti viginti minae me ad mortem adpulerunt*; Mil. 4, 6, 58: *postquam te adspexit.* — *Viri quoque armati idem istuc faciunt,* ubi melius post *mortem* in thesi et post *quoque* in caesura concursus

---

[1]) v. Vahl. Herm. 17 a. 1882 p. 600 sq.

[2]) De hiatu qui post vocabulum creticum fit, v. infr. Sentent. controv. I; cf. Lachm. ad. Lucr. VI 743 p. 388.

vocalium efficitur; neque Poen. 5, 4, 88: . . *at me* | *ita di servent*, in quo Geppertus recte transposuit *at ita me di servent*[1]).

In octonario trochaico non coniunguntur pronomina: Aul. 5, 14: *quod ego facinus audio ex te?* | — *Euclioni huic seni subripui*; Capt. 2, 1, 43: *audio.* — *Et propterea saepius te* | *ut memineris moneo*; Men. 4, 2, 21: *agere aut quicum licitum est*: *ita me* | *attinuit*, *ita me detinuit*; Pers. 1, 1, 13: *quis illic est qui contra me astat?* — *Quis hic est*, *qui contra me* | *astat?*[2])

Denique in iambico octonario Capt. 4, 1, 12: *coniciam in collum pallium, primo ex me* | *hanc rem ut audiat,* in dimetro trochaico Epid. 1, 1, 70: *quid istuc ad me* | *attinet?*

2. De i vocali.

Iam i vocalis ultima corripitur in his vocabulis *i di mi qui si.*

Imperativus *i* non eliditur Asin. 5, 2, 91: *i domum.* — *Da savium etiam prius quam abis.* — *I* | *in crucem.* Ceteris locis ante imperativum hiari potest et melius hiatur. Poen. 5, 5, 30: *lubet?* — *Ita dico.* — *Ligula, i in malam crucem*; Truc. 2, 3, 8: *sed obsecro hercle, Astaphium,* ⟨*i*⟩ *intro ac nuntia* (*tu i intro* necessario scribendum esse vix quisquam Schoellio (praef. 16 adn. 3) credet); Poen, 4, 2, 51: *volucres tibi erunt tuae* | *hirquinae.* — ⟨*I*⟩ *in malam rem.* — *I tu atque erus;* Pseud. 3, 2, 57: *it incenatus cubitum.* — *I in malam crucem*; Truc. 3, 2, 28: *quian 'nihili' dico?* — *I intro amabo: cedo manum.*

Di nomen non coniungi Ussingius vult, quamquam post *hercle* interiectionem hiatum statuere licet, Merc. 2, 3, 99: *hercle illunc di infelicent*, *quisquis est.* — *Ibidem mihi.* Quod autem Fleckeisenus pro *di illos homines* scribendum proposuit Men. 2, 2, 34: *habitas?* — *Di* | *homines, qui illic habitant, perduint,* genus erroris male perspexit; id enim librarii peccaverunt, quod hoc loco, ut permultis aliis, frequentativam formam *habitas* pro primitiva *habes* posuerunt.[3]) Denique in asseverandi verbis *ita me di ament.* Lorenzius (adn. crit. ad Most v. 170 editionis alterius) *di* cum hiatu legit. Neque improbabiliter hoc statuitur; nam idem vocabulum non modo in arsi non eliditur, ubi *ita me di ament* monometrum trochaicum efficiunt; verum etiam in anapaestis versibus; v. Pseud. 4, 1, 33. Sed cum vocales coniungere pravum non sit, eius modi versus adscribere nolui.

Vocativus *mi* duobus exemplis comprobatur, quorum alterum ne Ritschelius quidem impugnavit, Asin. 3, 3, 74: *da méus ocellus,*

---

[1]) v. Kellerhoff, De colloc. verb. Plaut. quaest. select. Argent. 1881. p. 31 sq.

[2]) 'contra' et spondeum et trochaeum efficere exposuit Usener, de Pseud. scaena II Ind. schol. aest. Univ. Gryph. a. 1866 p. 10 sq. — Aliter Brixius Emend. Plautin. Brieg. 1847 p. 10.

[3]) sic Vahlenus Ind. lect. aest. Un. Ber. 1880 p. 13.

méa rosa, mi | *ánime, mea volúptas;* Mil 4, 8, 20: *o mei oculi,* | *o mi* | *anime.* | — *Obsecro, tene mulierem.*

Saepius exhibetur pronomen relativum *qui:* Amph. 3, 4, 2: *nec quisquam tam audax fúat homo, qui* | *óbviam obsistát mihi*; Asin. 3, 3, 40: *qui* | *hódie numquam ad vésperum vivám.* — *Quapropter quaéso?* Aul. 3, 2, 23: *etiám rogitas? sceléste homo, qui* | *anglos ómnis*; Bacch. frg. v. 8 R.: *qui* | *ilico errat intra muros civicos*; Merc. 4, 1, 10: *qui* | *hanc vicini nostri* | *aram* | *augeam*; in hoc versu prorsus nihil offendit nisi hiatus. Quo fit, ut in emendando viri docti inter se magnopere dissideant. Memoria dignum videtur quod Ussingius edidit *nostri* ⟨*rite*⟩ *aram.* Syrae autem nomen, quod Camerarius in extremo versu addidit, facile reponitur, cum codices iniuria proximo versui Syrae personam praemittant, — apte adici non puto. Mil. 2, 5, 42: *neque moror neque vos qui* | *homines sitis novi neque scio*; Truc. 5, 17: *respice ergo,* | *accipe hoc, qui* | *istuc ecficias opus*; de priore huius versus hiatu infra dicetur. — Vix addendus est Pseudoli versus, quem libri vitiose tradunt Pseud. 4, 7, 118: *symbolum qui* | *hoc accepit* . . , quod saltem *symbolum* . . *hunc* dicendum fuit; v. Lor. adn. crit. ad Ps. 648. Sed optime sententiae convenit quod Bothius voluit *qui* ⟨*ab*⟩ *hoc.* — Neque eos senarios in hoc numero habuerim, in quibus si cum Ussingio Ritschelio in caesura hiatur, verborum accentus cum numero consociatur: Bacch. frg. v. 6: *qui annis viginti* | *errans a patria afuit*; Curc. 1, 1, 55: *qui e nuce nuculeum* | *esse volt, frangit nucem*; Stich. 5, 1, 3: *qui hercle illa causa* | *ocius nihilo venit;* hanc Ambrosiani scripturam Ritschelius (N. exc. 1,73) ita probat, ut *causad* substituat, antea ceteros libros secutus edidit *nihilo citius advenit* sicut in versu quinto *nihilo citius veniet*: quam repetitionem, etsi offensioni non est, contra codicum memoriam non inferemus. — Falso exhibentur in libris: Bacch. 2, 3, 98: *quine auro* | *habeat* (*qui* cod.). Men. 3, 1, 6 sq.: *illum* . . *perduint, qui primus* ⟨*hoc*⟩[1] *commentus est Contionem habere, quae homines occupatos occupat*; ubi *hac re qui* vel *ha re qui homines* in libris est. Poen. 2, 3: (*qui immolarit*) *Quive ullum* . . et Poen. 3, 3, 93: *quin hercle accipere* . . , in quibus *qui* | *ullum* ex Rescripto, *qui* | *hercle* ex Palatinis solis adfertur; neque *qui hercle* pro *hercle qui* dictum defenditur versu 4, 2, 88, in quo Palatini illi quidem *qui hercle* habent, sed in Ambrosiano recte *quin* scribitur; cf. Fleckeis. Misc. crit. Dresd. 1864 p. 28 sq. et p. 30.

Denique particula *si* ante vocales ponitur Aul. 2, 7, 5: *si* | *autem deorsum comedent, si quid coxerint*; ita enim vox *deorsum* hoc quoque loco bisyllaba fit; v. Muell. Pros. p. 451 sq.; Uss. Proleg. p. 214. Aul. 3, 2, 25: *ibi ubi tibi erat negotium, ad focum si* | *adesses;* sic cum Spengelio (de emend. metr. p. 298) dimetior, non quod putem alteram versus Reiziani partem esse anapaestum monometrum hypercatalectum, sed quia altera huius tripodiae iambicae thesis

---

[1]) 'hoc' addidit Vahlenus; cf. Herm. 17 p. 608 sq.

brevis esse non solet. Bacch. 3, 3, 29: *quom librum legeres, si* | *unam peccavisses syllabam*; Bacch. 4, 4, 46: *quem si* | *orem, ut mihi nihil credat, id non ausit credere;* sic Ussingius, quamquam dativus *mihi* in altera syllaba acui potuit. Men. 3, 2, 37: *si* | *aequom facias, mihi odiosus ne sies*, quamvis non alienum a Plauti more loquendi sit *si te aequom*; cf. Vahl. adn. Mil. 4, 8, 46: *et si* | *ita sententia esset, tibi servire malui*, quam elocutionem Ussingius tutatus est. Pseud. 2, 1, 12: *atque ad hoc meas legiones adducam. si* | *hoc expugno*, quem versum octonarium trochaicum esse cum Ussingio existimo. — Dubitari potest de his locis Bacch. 1, 1, 1: *quid? si* | *hoc potis est, ut taceas, ego loquar! — Lepide; licet;* sic enim in libris scriptis traditur; neque necesse erat pronomina inter se contraria suo quoque loco addi; vide Ussing. ad Epid. 351; ubi adde Epid. 3, 2, 1 (*tu* non *iam* delendum est); Curc. 2, 3, 26; Merc. 2, 3, 119; Mil. 3, 1, 216; Most. 1, 1, 63; Truc. 5,63 *(tu peregrinus es, hic habito. .)*. At cum Charisius praebeat *ut tu taceas*, in codicibus Plautinis pronomen *tu* errore intercidisse censendum est. Capt. 2, 1, 2: *decet id pati animo aequo*; *si* | *id facietis, levior labos erit;* sed Brixius legi vult *decét id páti animo aéquo*; *si id . .*

In alia versus sede non minus recte hiatus statuitur Asin. 2, 3, 9: *si istoc exemplo omnibus qui quaerunt respondebis;* Most. 5, 1, 42: *quid si igitur ego accersam homines? — Factum iam esse oportuit*; Truc. 5, 44: *nunc si hanc tecum esse speras, alia opust auri mina;* in hoc versu aut *si* aut *tecum* non eliditur; itemque in secundo aut *si* aut *accersam* (v. infra); in primo, qui est septenarius iambicus, Ritschelius (N. exc. 1,62) *exemplod* posuit. De Pseud. 4, 6, 9 v. inf. cap. II § 4. — Eximendi sunt Poen. 5, 2, 45: *si* | *est, nega esse . .*, ubi *si ita est* cum Camerario aut cum Gepperto *id si est* non poterit non scribi; Aul. 1, 1, 9: *si* | *hodie fustem . .* Bacch. 1, 1, 12: *nam haec si* | *habeat aurum, quod illi renumeret, faciat lubens*; ita enim hos versus solus Vetus codex habet; reliqui in altero transponunt *nam si haec habeat . .*, in priore addunt *hercle*, quod in Vetere altera manus suprascripsit.

His vocabulis adiungenda non erant *hi* aut *ni*. Illud libri exhibent Amph. 3, 3, 19: *iam hi* | *ambo, et servos et era, frustra sunt duo;* sed rectissime *hisce* editores reposuerunt; v. Schmidt de pron. dem. p. 27. Post alteram vocem *ni* hiatum esse Ussingius putabat Men. 3, 2, 6: *non hercle is sum qui sum, ni* | *hanc iniuriam;* at si hic verborum sonus cuiquam placere possit, non hiandum, sed *nisi* scribendum sit; ipse interiectionis *hercle* vocalem extremam servari credo.

3. De o vocali.

Tertio loco de o correpto dicere institueramus. Corripitur autem in voce *pro*: Poen. 5, 4, 65: *dató mihi pro* | *offa sávium, pro* | *ósse linguam obicito.* Neque vero huc pertinere videtur Curc. 5, 2, 20; v. cap. II § 2. — Commemoranda erat vocula *quo*, si verum esset

quod codices Decurtatus et Vaticanus habent Poen. 3, 1, 32: *quod tu invitus numquam reddas domino, de quo | ederis*; sed ex Veteris scriptura *de quioederis* Buggius vere *de quoio ederis* eruit[1]).

4. De u vocali.

Proximum est, ut de *tu* pronomine disseram. Hoc igitur saepissime non coniungitur; vide Amph. 2, 1, 46: *fieri nunc uti*[2]) *tu | hic sis et domi? id dici volo*; Asin. 5, 2, 47: *ain tandem? edepol ne tu | istuc cum malo magno tuo;* Ussingius (Prol. p. 198) priorem verbi *ain* syllabam longam esse contendit propter duos Amphitruonis locos, quibus *ain vero* ditrochaeum efficiat (1, 1, 128 et 188) aliosque. Postea sententiam commutasse videtur; nam in Mostellariae et Poenuli versibus (quos paulo infra adscribam) *ais tu* cum hiatu pronuntiandum disertis verbis adnotat. Et recte hoc adnotat; nam quod Priscianus de littera i geminata tradit, ad ea vocabula spectat, in quibus illud i producta vocalis praecedit; velut in *maius aio* (h. e. mag-jus ag-jo) al. In Amphitruone autem qui *ain tu vero* cum Ritschelio (Prol. Trin. p. 190) recipere non vult, ei *aisne vero* vel *aine vero* reponere licet; cf. tamen Muell. Suppl. pros. p. 100 sq. Curc. 2, 3, 44: *pernam, abdomen, sumen sumes, glandium. — Ain tu? | omnia haec?* Epid. 1, 1, 71: *quó tu | intereás modo?* Men. 2, 3, 28: *ubi tu | hunc hominem novisti? | — Ibidem ubi hic me iam diu*; Ritschelii scriptura *tute* gravior pronominis vis existit, quam quae huic sententiae conveniens sit (cf. Muell. Pros. p. 580). Men. 3, 2, 48: *omnis cinaedos esse censes, quia tu | es?* de quo cf. Speng. Plaut. p. 136. Merc. 1, 2, 77: *eho tu, | eho tu, quin cavisti, ne eam videret, verbero?*[3]) Merc. 4, 1, 11: *da sane hanc virgam lauri. | abi tu | intro. — Eo;* Mil. 1, 1, 45: *sunt, omnes quos tu | occidisti uno die;* voc. *omnes* pro *homines* Studemundus[4]) restituit; aliter iudicat Ussingius. Mil. 5, 19: *quod tu | hodie hic verberatu's aut quod verberabere;* Most. 3, 1, 65: *quid ais tu, | hominum | omnium taeterrume?* sic cum libris Palatinis scribendum censeo; si cum Rescripto *omnium | hominum taeterrume* reciperemus, incisio versus desideraretur. Et haec tam similia vocabula a librariis facillime permutari potuerunt. Poen. 1, 2, 183: *ut tu | huic irata ne sis aut, si id fieri non potest, Capias restim ac te suspendas;* editores *aut*

---

[1]) nam 'quoius' non solum pronomen interrogativum — in interrogatione recta ponitur Curc. 1, 2, 18 et 2, 1, 14; Bacch. 4, 9, 55; Merc. 4, 3, 20; Pseud. 2, 4, 11; Stich. 2, 2, 46; Trin. 1, 2, 7; in pendenti Merc. 1, 2, 87; 3, 1, 31; 4, 3, 21; 5, 2, 23 — verum etiam relativum est; v. Bergk. Symb. p. 59 sq.; adde Epid. 2, 1, 109 et Pseud. 4, 4, 5.

[2]) in libris 'ut' exhibetur, quod tum demum retineri possit, si 'fieri' in medio versu creticum pedem expleat. Nec tamen ullum huius dimensionis exemplum repperi; nam Poen. 5, 2, 96: 'quid ais? qui potuit fieri, ut Carthagini' post 'fieri' hiari infra videbimus.

[3]) hunc versum Plautinum esse Ussingius vol. IIII 2 praef. p. 4 concedit.

[4]) Annal. 93 a. 1866 p. 62.

particula post *huic* addita orationem corrumpunt; nam *huic* ad prius. non ad posterius membrum spectat. Poen. 5, 2, 25: *quid ais tu?* | *ecquid conmeministi Poenice?* Pseud. 1, 2, 85: *ûnctiusculô? sed scio, tu* | *óleum haud magni péndis*; *vino*; Pseud. 4, 7, 43: *quid iam?* — *Quia tu* | *ipsus ipsum praesens praesentem vides*; sic Ussingius praeeunte Luchsio[1]) versum restituit; litteraeque in spatium conveniunt, quod Ambrosianus praebet. Ceteri codices *te* habent, unde Ritschelius (N. exc. 1, 39) *tute* scribi vult. Stich. 5, 7, 3: *fac tu hóc modo.* — *At tu* | *hóc modo.* — *Babaé.* — *Tatae.* — *Papaé.* — *Pax*; Ritschelius priorem *modo* vocem in persona mutata non elidi censuit: mihi prorsus idem verborum *hoc modo* sonus valde displicet. Trin. 3, 1, 5: *non credibile dices.* — *At tu* | *edepol nullus creduas*; in libris est *tua edepol*, quod interpretandum *tu aedepol* ut in versibus satis multis.[2]) Atque cum hic vocabulorum ordo *tu edepol nullus* usui Plautino prorsus respondeat (v. Brix. adn. crit. ad h. v.), stultum est transponere *tu nullus edepol*, cum praesertim ille hiatus caesura defendatur. — Hisce exemplis adiungi possunt Capt. 3, 4, 11: *equidem tam sum servos quam tu*, | *etsi ego domi liber fui*; Capt. 3, 5, 10: *tuos sum; tu* | *has quidem vel praecidi iube*; Epid. 2, 2, 95: *secus sententia* [*est*]. — *Immo docte.* — *Quid tu* | *ais, Apoecides?* Most. 3, 1, 58: *eu* | *hercle ne tu* | *abi modo; ausculta mihi*; quamquam *tuus* et *ais* in versibus secundo et tertio bisyllaba esse possunt, in primo et quarto *domi* et *abi* non falso in syllaba posteriore acuuntur; porro Capt. 2, 1, 28: *nam sí* | *erus mihi es tu átque ego me tuom ésse servom adsímulo*; Men. 5, 2, 76: *viden tu illi oculos virere? ut viridis exoritur colos?* Most. 3, 2, 123: *tamquam?* — *Ah*, *cave tu illi obiectes nunc in aegritudine*; Pseud. 1, 5, 75: *memini.* — *Quor haec*, *tu ubi rescivisti ilico*; Trin. 2, 4, 46: *homo ego sum*, | *homo es tu*: *ita me amabit Iuppiter*; in his V versibus in alia sede, non post *tu*, hiari potest: in primo post *mihi*, in altero post *illi* (cf. Lachm. ad Lucr. III 941 p. 195), in tertio aut post *illi* aut in oratione finita, in quarto ante extremum creticum, in ultimo post alterum *homo*. — Admodum suspectus est v. Mil. 2, 3, 27. Neque magis huc pertinet versus, qui in supposito Poenuli exitu[3]) legitur Poen. 5, 7, 7: *qui hasce emi.* | — *Et tu* | *ipse periisti, Lyce*; nam in Rescripto *tute* extat. Id quoque eximendum videtur, quod legimus Trin. 2, 4, 181: *tu* | *istuc cura . .*; aptissime enim, si modo versus inde a 2, 4, 175 in pristinum ordinem Ritschelius revocavit, scribitur: ⟨*eo:*⟩ *tu istuc cura . . .*

5. De ae diphthongo.

Haec de *tu* correpto; nunc venio ad pronomen relativum *quae*, quod his locis cum hiatu ponitur: Capt. 2, 2, 13: *secede huc; nam*

[1]) Herm. 6 a. 1872 p. 276.
[2]) severius iudicat Ritschelius Prol. Tr. 195.
[3]) spurios esse versus a 5, 6, 18 ad 5, 7, 16 Ussingius ad v. 1352 demonstrat.

sunt quae | *ex te solo scitari volo*; Capt. 3, 3, 4: *neque* [*exilium*] *éxitiosi neque ádeo spes, quae* | *húnc mihi aspellát metum*; Mil. 2, 5, 29: *egone?* — *Tu.* — *Quae* | *heri* | *Athenis Ephesum adveni vesperi*; editores auctore Ritschelio *ne* post *tu* interponere solent, qua re legitimus ille hiatus *quaé* | *heri Athenis* efficitur; Muellerus vero hunc quoque hiatum expellit, cum scribit *egone? Tu* ⟨*ne*⟩. *Quae*⟨*ne*⟩ *heri Athenis* .. Atque potest *ne* affirmativum addi; v. Fleckeiseni Analecta Plaut. (Philol. 2 a. 1847) p. 91 sq.: nec tamen necessarium est, quia Most. 4, 2, 39 scriptum videmus: *egone?* — *Tu.* — *Tu ne molestu's* ..; cf. Amph. 2, 1, 25: .. *egone?* — *Tu istic* ..; Men. 4, 2, 88; 5, 5, 35. Poen. 5, 4, 78: *ubi súnt eae aut quae?* | *óbsecro.* — *Satis idm sunt macerdtae.* Adiciendus erit versus Reizianus Aul. 3, 2, 19: *utinam mea mihi modo auferam, quae* | *adtuli*, *salva!* nam *adtuli* in hoc metro pro dactylo pede poni posse suo iure Wagnerus probavit [1]). — Huc referri non debent Mil. 3, 1, 12, ubi duriores numeri levantur Ambrosiano codice, aut Merc. 1, 2, 33. Neque minus omittendum censeo Asin. 3, 2, 39 sq.: *manedúm.* — *Quid est? Philaénium* | *estne haéc, quae* | *intus éxit Atque Argyrippus una?* — *Opprime os; is est; subauscultemus*; nam cum versus 40 metrum turbatum sit, cum Grutero *atque* particulam in priorem septenarium retraxerim nullo hiatu, in proximo pronuntiaverim: *Argýrippus úna.* | *Opprime* .. (cf. Muell. Pros. 230 sq. et 263 sq.).

Quod autem *hae* non coniunctum Decurtatus et Vaticanus praebent Most. 1, 3, 9: *madént iam in corde pdrietes; periére hae* | *oppido aédes*, Vetus liber *haec* formam vere tradidit; v. Schmidt. de pr. dem. p. 42.

6. De oi diphthongo.

In oi exitum habet pronomen *quoi*, quod ante vocales collocatum quattuor locis thesim explet: Asin. 2, 4, 53: *suscénseat, quoi* | *ómnium rerum ipsus semper crédit*; in libris scribitur *qui* h. e. *cui*. Asin. 4, 1, 33: *spectandum ne quoi* | *anulum det neque roget*; Pylades Ritschelius alii *quoiquam* scribi voluerunt: quo fieret, ut in tribus deinceps versibus (32—34) idem pronomen *quoiquam* haberemus. Curc. 4, 2, 45: *quoi* | *hómini di sunt própitii, lucrum éi profecto obiciunt;* atque eadem verba cum eodem hiatu in trochaico septenario legimus Curc. 4, 4, 1: *quoi* | *homini di sunt propitii* .. Pers. 1, 3, 40: *nihili parasitus est, quoi* | *argentum domist.* — Accedit huc, si verum est quod Madvigius coniecit Mil. 2, 6, 105: *quoi* | *id adimatur, ne id quod vidit viderit*, ubi Ambrosianus *quin id*, reliqui *quod* vel *quod in* praebent. Brixius igitur hoc loco, ut Goetzius Ritschelius (ad Trin. 358 edit. alt.) [2]) bisyllabam formam *quoii* restituit; eamque iis locis firmari putant, quibus *quoi* ante vocales arsim efficit (Amph. 3, 1, 1; Trin. l. l.); sed vide infra Sent. controv. I.

---

[1]) Aul. ed. II Cantabr. 1876 Proleg. p. 27.
[2]) v. Buecheler. de declin. Lat. Lips. 1866 p. 59.

7. De extremo am.

Hae sunt monosyllabae voces in longam vocalem vel in diphthongum cadentes; nunc eas consideremus, quae m consona finiuntur. Hanc igitur litteram vocalis a praecedit in tribus vocabulis *iam nam quam*.

Iam non coniunctum his exemplis defenditur: Aul. 2, 3, 7: *atque occlude aedis. iam | ego | hic adero. — Quid ego nunc agam?* Spengelius (Plaut. p. 223) vix recte *occludito* scribi iubet, Goetzius cum Guyeto transponit *atque aedis occlude* . . Capt. 3, 5, 91: *peristis, ni hunc iam | e conspectu abducitis;* Epid. 5, 2, 3: *tace; sine modo me hominem apisci. — Dico ego tibi iam, | ut scias;* initium versus Goetzius restituit pro *tace sis modo sine me* . . Trin. 2, 4, 181: ⟨*eo:*⟩ *tu istuc cura quod iussi: ego iam | hic ero;* Ritschelius satis moleste *te* ante *iussi* addit. Truc. 2, 6, 57: *perii | hercle miser: iam | auro contra constat filius;* Spengelii coniectura *aurichalco contra* uterque hiatus haud improbabiliter tollitur; atque in fabulis et hoc et illud invenitur (cf. Uss. ad Curc. 201). Sed illa orationis vanitas milite dignior est, quam ut aliqua pars inde detrahatur. Goetzii vero scriptura *perii hercle* ⟨*ego*⟩ *miser: iam* ⟨*mi*⟩ *auro* . . probabilitate caret. Truc. 2, 7, 51 et 52: *vérbum unum adde istóc: iam | hercle | égo te hic hac offátim offigam. — Tánge modo: iam | égo | hic agnum fáciam et medium distruncabo*; in priore versu facillime cum Spengelio *iam* duplicatur. In altero idem vir doctus *hac* post *hic* inseruerat; quod cum caducum sit — v. Schoellii adnot. —, postea (de em. metr. p. 425) *agnum* ⟨*te*⟩ *faciam* ei placuit. Et hoc habet quo se commendet; id tamen fieri nulla ratione potest, ut anapaesti versus sint. — Adnumerandus est, nisi forte *abi* in posteriore syllaba acuere mavis, v. Amph. 1, 3, 45: *eamus, Amphitruo; lucescit hoc iam. — Abi prae, Sosia.* — Porro duobus locis codex Alter Camerarii tradit: Mil. 4, 9, 11: *ipsus illic se iam | inpedivit in plagas*; Pers. 1, 3, 11: *iam | adfuturum* . .; sed in Vetere sunt *sese* (*illicese*) et *iam hic adf.* Neque aliter in Poenulo Ambrosianus *dilidam*, ceteri cum hiatu adferunt Poen. 2, 46a: *colaphis quidem hercle tuom iam | elidam caput.*

Alterum vocabulum *nam* hiatum recipit Aul. 4, 5, 3: *nam | hic iam non audebit aurum abstrudere*; Epid. 1, 1, 48: *vae misero mihi! male perdidit me! — Quid istuc? quidnam | est?* Men. 1, 1, 6: *nam | homini misero si ad malum accedit malum Maior lubido est fugere* . . Muelleri *nam* ⟨*hoc*⟩ *homini* deteriorem facit orationem, quia dativus *homini misero* non solum cum sententia condicionali *si* . . *accedit*, verum etiam cum primaria sententia *maior lubido est* . . copulandus est. Men. 2, 2, 18: *nam | equidem insanum | esse te certo scio*; Mil. 2, 4, 7: *dispéssis manibus pátibulum quom habébis. — Quamnam | ób rem?* Pers. 2, 3, 14: *nam | id demum lepidúm est, triparcos* [*homines*], *vétulos, avidos, áridos*, quem versum Ritschelius pro septenario trochaico accipit; ipse ab hoc versu iambicos octo-

narios incipere persuasum habeo, ut una cum sententia metrum mutetur. Poen. 5, 2, 94: *nam* | *haud repudio hospitium neque Carthaginem.* — Si Goetzius recte dimetrum iambicum descripsit, huc pertinet Aul. 2, 1, 17: *ubi east*, *quis east nam* | *optuma?* Spengelius (de emend. metr. p. 339) versum trochaicum esse putat. — Aliquid dubitationis inest in his exemplis: Capt. 4, 4, 13: *nam* | ⟨*hóc*⟩, *hic quidem ut adórnat, aut iam nihil est aut iam nihil erit;* sic cum Lindemanno Ussingius; Pers. 2, 4, 27: *nam* | *úmbra mea intus vápulat.* — *Ut istúnc di deaeque pérdant;* ita enim codices Palatini; Ritschelius autem, cum Ambrosianus post *mea* trium litterarum spatium praebeat, *iam* inseruit. Incerti sunt, quoniam non minus recte in alia versus sede hiatus statuitur, hi senarii: Curc. 3, 28: *nam illaec catapultae ad me crebro commeant;* Men. 1, 1, 22: *nam illic homo homines non alit verum educat;* Pers. 4, 3, 43: *nam is mihi honores suae domi habuit maximos;* quorum in primo Ussingius vocem *catapultae* coalescere negat; in reliquis vocabula *homo mihi* cum hiatu corripi posse postea videbimus. Haud minus ambigui sunt septenarii iambici Curc. 4, 2, 37: *nam et operam et pecuniam benigne praebuisti;* Truc. 1, 2, 97: *nam equidem illi uterum quod sciam numquam extumere sensi;* ibi enim *nam* aut *operam* integrum manet, hic aut *nam* aut *illi*, si Rescripti auctoritate utimur; Spengelius ceteros secutus dimetitur *nam equidem uterum illi quod* . . In Sticho Ritschelius (N. exc. 1, 38) *med* recipit, Spengelius *nam* confundere non vult Stich. 1, 3, 5: *nam illa me in alvo mensis gestavit decem.* — Vix tamen — ut Stich. 2, 2, 6 hoc loco omittam — Ussingio assentiemur, cum in caesura hiari adnotat Pseud. 1, 3, 116: *quin tu te occidis potius? nam hunc fames iam occiderit;* immo verissime *ted* probavit Ritschelius (N. exc. 1, 38). — Denique certo detrahendi sunt: Epid. 1, 1, 64: *mitte nunc idm* ⟨*me*⟩; *nam ille mé vetuit domúm venire*, ubi *me* Camerarius inseruit conlato v. 69; Merc. 3, 1, 10: *namque edepol equidem* . ., ubi *nam* in Decurtato et Vaticano, *namque* in Vetere et Ambrosiano extat.

Iam pronomen relativum *quam* uno loco thesim explet subsequente vocali: Truc. 1, 1, 51: *quos quidem quam* | *ad rem dicam in argentariis.* — Saepius adverbium *quam* invenitur: Aul. 3, 2, 10: *etiám rogitas? an, quia minus, quam* | *aéquom erat, féci?* Brixius *me* interponit; sed cf. Men. 3, 2, 37 (supr. § 2). Bacch. 4, 9, 8: *nunc príus quam* | *huc senéx venit, lubet lámentari, dum éxeat*; Epid. 1, 1, 82: *fidicinam emit, quam iste* [*ipse* cod.] *amat, quam* | *abiens mandavit mihi;* Men. 4, 3, 1: *quis hic me quaerit?* — *Sibi inimicus magis quam* | *aetati tuae;* atque haec brevitas loquendi Menaechmum magis decet, quam quod Ritschelius eum dicentem facit: *magis* ⟨*quist*⟩ *quam* . . Merc. 4, 3, 16: *faciunt quam* | *illi, qui non fiunt rustici*; Mil. 2, 3, 80: *nec quoiquam quam* | *illi* ⟨*in*⟩ *nostra meliust famulo familia;* quod Ritschelius induxit *alii* optimo iure omittit Brixius, qui conectit verba *meliust quam illi.* Mil. 4, 6, 44: *nasó*

pol iam haec quidem plús videt quam | *óculis.* — *Caeca amórest;* Most. 3, 2, 165: *tam placidast quam* | *est aqua.* ⟨*quoi*⟩*vis ire intro audacter licet*, ubi *quoivis* Buggius restituit. Stich. 4, 2, 26: *non tu scis quam* | *afflictentur homines noctu hic in via?* sic bene cum Palatinis libris Ambrosianus teste Goetzio; cf. Vahl. Herm. 17 p. 598. Trin. 2, 4, 174: *natust quam* | *illud est 'spondeo' natum mihi;* Truc. 2, 7, 66: *captiost istaec: machaeram longiorem habes quam* | *haec est*, in quo octonario Spengelius ⟨*tu*⟩ *habes* voluit; Schoellius cum in ultimo versu *haec meast* poneret, septenarium effecit. — De nonnullis locis certum nescimus: Curc. 2, 3, 26: *haud* ⟨*me*⟩ *magis cupis, quam ego te cupio.* — *O mea opportunitas*, ubi cum Muellero *ego* producta syllaba posteriore legi potest. Paulo improbabilius *me* post *magis* additur a Goetzio in hunc modum: *haúd magis* [*mage* Goetz.] ⟨*mé*⟩ *cupis quam égo te cupio.* | — *O mea opp.* Epid. 2, 1, 10: *neque séxta aerumna acérbior Herculi quam* | *illa mihi obiéctast*, qui versus septenarius iambicus esse nequit; Goetzius non sine dubitatione *quam mi illa* edidit, Seyffertus (v. Goetz. Curc. praef. 18) *illi* in *Herculi* locum substituit. Pers. 2, 2, 37: *numquam ecastor hodie scibis prius quam* | *ex te audivero;* Ritsch. *ted* scripsit (N. exc. 1, 38). — Eximendus est, quoniam Rescriptus *numquit*, non cum ceteris *num* adfert, versus Trin. 1, 2, 161: *numquid prius quam abeo, me rogaturu's?* — *Vale.*

8. De extremo em.

In em cadunt hae voces *dem quem rem.*

Ille coniunctivus certo exemplo defenditur Capt. 2, 3, 89: *sequere me, viaticum ut dem* | *a tarpezita tibi.*

Iam pronomen *quem* in thesi ponitur Asin. 4, 1, 24: *ad eorum ne quem* | *oculos adiciat suos*; cf. sup. § 6 ad Asin. 4, 1, 33; Trin. 2, 1, 10: *amóris artis éloquar quem* | *ád modum se expédiant*; septenarium iambicum ducibus libris descripsit Spengelius (de em. metr. p. 418), cui tamen *quemnam ad* . . placuit. — Nescio an addendi sint Amph. 4, 3, 6: *quid ego* ⟨*ago*⟩, *quem* | *advocati iam atque amici deserunt?* ita Gruterus versum mutilum supplevit; sed cf. Speng. Plaut. p. 41. Trin. 3, 3, 63: *illum quem* | *habuit perdidit*, [*alium post*] *fecit novom*, in quo *alium post* Ritschelius expulit, aliter Lachmannus ad Lucr. II 719 p. 116.

Accusativus *rem* non eliditur his locis: Epid. 4, 2, 26: *quid? ob eam rem* | *hanc emisti, quia tuam gnatam es ratus?* Men. 3, 1, 8: *non ad eam rem* | *otiosos homines decuit deligi?* id quod non cum Ritschelio *rem* ⟨*hercle*⟩ *otiosos*, sed sententiae causa cum Vahleno *non* ⟨*saltem*⟩ *ad* . . scribi potest. Men. 5, 1, 37: *ut veniat ad me:* | *ita rem* | *esse dicito*; Ritschelium voluisse *rem natam esse* supra diximus. Stich. 1, 3, 55: *ipse egomet quam ob rem* | *auctionem praedicem*; Ambrosianus hunc quidem versum praetermisit, sed duos alios (v. 79 et 80) hoc quoque loco scriptos habet. Qua de causa v. 55 deleri solet ut interpretamentum versus 53: *dicam*

auctionis causam, ut damno gaudeant — Nam curiosus nemo est, quin sit malevolus —, Ipse egomet quam ob rem auctionem praedicem. Mihi tamen haec copia dicendi eo minus a Plauto abhorrere videtur, quod hoc loco aliquid novum adnectitur[1]). Trin. 3, 3, 71: *uxorem quoque ipsam | hanc rem | ut celes face*; Bothius *uti* edidit; *eampse* Ritschelio in mentem venit. — Adnumerare possumus cum Fleckeiseno Spengelio Poen. 3, 3, 66: *cum illoc te meliust tuam rem, | adulescens, loqui*, quo in versu *tuam* postponi non debebat; sed cum Rescriptus verbum substantivum nomini *melius* adiunctum habeat — ceteri *melius* exhibent, ut v. 64 —, possit sane fieri, ut talimodo legamus: *mélius ést tuam rem, ád*. . . Atque e Trinummo afferri posset Trin. 3, 2, 26: *atque istum ego agrum tibi relinqui ob eam rem enixe expeto*, nisi cum Bergkio *denixe* ex Placidi glossa sumendum esset. Neque Palatini libri comprobandi sunt, qui in Pseudolo haec produnt: Pseud. 1, 2, 63: *lénios, qui | ítem ut nós iurando iúre malo quaerínt rem, | audi*; Ambrosianus enim post *malo* aptissime *male* inserit.

9. De extremo om.

Sequitur ut de *quom* correpto disseram. Ea igitur particula thesim efficit: Curc. 1, 1, 22: *quom | illa noctu clanculum ad me exit, tacet*; Men. 3, 1, 1: *plus triginta | annis natus sum, quom | interea loci*; Ritschelius in exemplari scripsit: *plus triginta natus annis ⟨ego⟩ sum*; Muellerus *iam* vocabulum vel eodem loco reponit vel sic collocat: *plus triginta ⟨iam⟩ sum natus annis quom* . . vel aliter. Optio igitur nobis data est! — Ambiguum est iudicium Mil. 3, 1, 216: *ut, quom | etiam hic aget, actutum partis defendas tuas*, ubi *aget* producta syllaba posteriore pronuntiari potest, neque opus est *tu* pronomen inserere; cf. supr. § 2 ad Bacch. 1, 1, 1. Merc. 5, 4, 19: *quem quidem hercle ego, in exilium quom ibat, reduxi domum*; Ussingius, qui *ibat* pro *iret* inter alia suaserat, in incisione hiari voluit; ipse maluerim *hercle* interiectionem non elidere. Neque aliter in his Bacchidum et Poenuli senariis in caesura, nullo pacto post *quom* concursus vocalium accidit: Bacch. 2, 3, 70: *quom extemplo a portu | ire nos cum auro vident*; Poen. 3, 5, 46: *eheu, quom ego habui | ariolos haruspices*; Poen. 5, 3, 19: *quom huc advenisti | hodie in ipso tempore*. — Denique rectius cum Placido Lactantio *quando* scribimus quam *quom* vel *qūm* quod codices praebent: Men. 2, 1, 2: *maior meo animo, quam quando ex alto procul*.

10. De extremo um.

Quoniam de litteris am em om ultimis dixi, reliquum est ut recenseam, quae voces in um exitum habeant. Sunt autem hae: *cum dum num sum tum*.

---

[1]) de enuntiato interposito cf. Vahl. Ind. lect. aest. Ber. 1880 p. 12 et 15; Brix. ad Mil. 801.

Cum praepositio in tredecim versibus integra manet: Amph. 1, 1, 245: *qui cum | Amphitruone hinc una | iveram | in exercitum*, quem versum corrigi non posse Goetzius libere profitetur. Neque vero eam ob causam spurium eum existimo; immo tam alter hiatus in incisione, quam tertius post creticum vocabulum factus veniam legitimam habet; v. infr. Sentent. contr. I; cf. Speng. Plaut. p. 178; Luchs. in Studem. Stud. I. 1 p. 22 sq. Amph. 1, 2, 36: *cum | Alcumena | uxore usuraria*; cf. Fleckeis. Annal. 61 p. 52 sq.; Ritsch. Opusc. phil. III (Lips. 1877) p. 125 sq. Asin. 2, 2, 66: *animum advorte, ut aeque mecum | haec scias. — Taceo. — Beas*; Bacch. 4, 4, 5: *quicum | ego bibo, quicum | edo et amo*, qui versus ex duobus tripodiis trochaicis catalecticis constare mihi videtur, ut antea *nunc amanti ero, filio senis* et *callidum senem callidis dolis*; Ritschelius Spengelius (de emend. metr. p. 95) pro dimetro iambico acceperunt. Bacch. 4, 4, 11: *improbis cum | improbus sit, harpaget ⟨cum⟩ furibus*; quem versum libros secuti tetrametrum creticum, non trochaicum intellegunt Spengelius Pl. p. 162, Weisius (De Bacch. Pl. retractat. quae fertur Ber. 1883 p. 45 adn.). Capt. 1, 1, 25: *ita nunc belligerant Aetoli cum | Aleis*; atque hic hiatus ea re firmatur, quod in prologo (v. 24) prorsus eodem modo legimus *post quom belligerant Aetoli cum | Aleis*. Capt. 2, 3, 35: *dicito patri, quo pacto mihi cum | hoc convenerit*; Merc. 2, 3, 114: *post autem communist illa mihi cum | alio*; *qui scio*; Merc. 5, 2, 27: *quid me voltis? — Ire tecum. | — Alium comitem quaerite*; Most. 2, 1, 45: *ubi ego ero? | — Ubi maxume esse vis, cum | hac, cum istac eris*; Most. 4, 3, 43: *quid vis? — I mecum, | obsecro, | una simul;* Stich. 2, 2, 63: *post autem advexit parasitos secum. | — Ei, perii miser*; sic cum Ambrosiano Ritschelius. Stich. 5, 4, 51: *tecum ubi autemst, mecum | itidemst: neuter neutri | invidet.* — Huc accedere possunt ex Truculento v. 3, 2, 20: *rabonem habeto, ut mecum hanc noctem sies;* 5, 44: *nunc si hanc tecum esse speras* . ., ubi tamen non minus vere post *habeto* et post *si* (v. sup. cap. I. § 2) hiatur. — Eundem autem post *cum* hiatum — ut de Bacch. 4, 1, 5 et Curc. 1, 1, 2 taceam — Ambrosianus solus praebet Stich. 4, 1, 15: *pax commersque est vobis mecum. | hoc tu facito ut cogites*; at recte Palatini codices *nam* interpositum habent. Neque aliter idem Rescriptus teste Gepperto (Stud. Plaut. II. Ber. 1871 p. 33): Bacch. 3, 3, 92: *melius multo, me quoque una si cum | hoc relinqueres*, ubi editores cum ceteris *illo* reposuerunt.

Paulo rarius *dum* in thesi corripitur: Pseud. 1, 3, 102: *ex tua re [non] est, ut ego emoriar. — Qui dum? | — Ego dicam tibi*; Truc. 1, 1, 17: *dum | huc dum | illuc rete vortit, impedit*; sic Spengelius; Schoellius versus 17 et 18 uncis seclusit, qui tamen ad describendam similitudinem prorsus necessarii sunt. Truc. 1, 2, 9: *oenús eorum aliqui ióculum amicae usque óggerit. dum | illi agunt*; cf. Schmidt, de pron. dem. p. 68 sq. Truc. 4, 4, 21: *triduum hoc saltem, dum | aliqui miles circumducitur.* Eodem huc

Spengelius (Pl. 213) retraxit Most. 2, 1, 53: *omnium primumdum* | *aedes iam face occlusae sient*; ipse referendum censeo Bacch. 4, 9, 27: *dum* | *ibi* | *exquirit fáta illorum. adsimiliter mihi hodie óptigit*; ita hunc octonarium dimetior; nam Ritschelii numeri ferri vix possunt.

Duobus exemplis defenditur *num*: Poen. 4, 2, 44: *malus es?* — *Malus sum.* — *Male mihi est.* — *Memora, num* | *esse aliter decet*; sic Ambrosianus; et ceterorum codicum *memorandum* merum librarii errorem esse versus 5, 2, 103 ostendit. Pseud. 1, 2, 84: *nitidiusculum caput? aut num* | *ipse pulmento utor magis.*

Iam verbum *sum* non coniungitur his locis: Amph. 1, 1, 200: *hic inquam habito ego atque horunc servos sum.* | — *At scin quo modo?* Camerarius transposuit *sum servos.* Bacch. 4, 1, 1: *parasitus ego sum* | *hominis nequam atque inprobi*; Merc. 3, 4, 17: *uno verbo eloquere: ubi ego sum?* | *hicine an apud mortuos?* Trin. 2, 4, 46: *homo ego sum,* | *homo es tu* . ., quem iam supra (§ 4) laudavimus. — Post secundum trochaeum, non post *sum* hiari puto (v. infr.) Truc. 4, 1, 3: *divi magni! ut ego laetus sum et* . . Vix dignus est qui memoretur v. Trin. 4, 2, 143: *quam ob rem?* — *Quia illum quem ementitus es, ego sum ipsus Charmides*, ubi duriores illos numeros, quos Ritschelius inesse opinabatur, facile evitabit qui dimetietur: . . *émentitu's, égo sum* | *ipsus* . . *Is* autem, quod editores post *ementitu's* inserunt, a Plauti consuetudine abhorret; nam in tali attractione inversa quae a grammaticis vocatur nominativus *is* iterari non solet; v. Amph. 4, 1, 1; Epid. 3, 4, 12 sq.; Curc. 3, 49.[1]) Mihi quidem nulla videtur esse durities metrica, quoniam in una quaque fabula saepius verbum substantivum post caesuram collocatum est. — Detrahendi erunt de hoc numero Capt. 5, 3, 16; Men. 1, 1, 29: *domi domitus sum usque cum caris meis,* quem versum corruptum Vahlenus egregie ita emendavit: *domi dominatus sum*.. cf. Ind. lect. aest. Un. Ber. a. 1880 p. 6. De Merc. 2, 2, 41 et Pers. 4, 9, 13 hoc loco dicere nolo.

Denique *tum* particula cum hiatu posita invenitur Poen. 3, 4, 20: *si exierit leno, quid tum?* | *hominem interrogem*; sic fere Geppertus edidit ex Ambrosiano, qui hunc versum una cum decimo post 3, 3, 95 in fine folii exhibet. Nostro autem loco Rescriptus non exstat; in ceteris pro *quid tum* traditur *censerit* vel *censeo* in *censent* correctum, unde Bothius *censen* reponebat. Ac per se utrumque recte dicitur; ipse tamen Ambrosiani lectionem probaverim cum propter vetustatem huius libri, tum quod altera scriptura ex versu 18 (*censeo*) inlata esse potest. -- Huc referre non licet, quia Plauti non est, v. Poen. 5, 7, 14.

---

[1]) cf. Holtze, Synt. prisc. script. Lat. I (Lips. 1861) p. 387 sq. al.

CAPVT II.

De polysyllabis vocabulis.

De monosyllabis igitur correptis res iam inter viros doctos, etsi non inter omnes, convenit; haud ita de polysyllabis. Spengelius enim (Plaut. p. 232 sq.) negat commissis inter se verbis duobus, quorum prius polysyllabum sit et in longam vocalem vel in diphthongum excidat, posterius a vocali incipiat, ultimam prioris vocis vocalem in thesi corripi potuisse. Qua in re tali ratiocinatione utitur, ut dicat: cum pars hiatus exemplorum ipso codice Ambrosiano expellatur, pars transponendo, pars facilibus emendationibus eximatur, quales sint *homonis* pro *hominis* positum, *uti* pro *ut*, *illunc illic istic* pro *illum illi isti*, *itidem* pro *item*, *expurigatio* pro *expurgatio*, *dice* pro *dic* aliaeque —, eos locos qui supersint eadem aestimatione dignandos, simileque veri esse eius modi hiatus Plautum fugisse. Haec Spengelii ratio quam non gravis sit, nemo est quin sentiat. Respiciamus igitur quae exempla libri scripti adferant, atque examinemus, sintne ea ita comparata, ut necesse sit mutentur. Hoc autem ordine de longis vocalibus extremis disputabimus

o i a e u ae oi;

adiungentur ea vocabula, quae in m litteram exitum habent.

1. De o vocali.

Ac primum ea polysyllaba consideramus, quae o vocali finiuntur. Quorum non pauca exempla eius generis sunt, ut in legitima versuum incisione hiatus efficiatur. Atque hi versus quo modo a criticis emendando transponendo addendo demendo tentati sint exponere et longum et inutile est. Hiatui enim, qui in medio septenario trochaico accidit, ab ipso Ritschelio (v. Men. praef. p. 10 sq. al.) excusatio datur; atque etiam in senarii iambici caesura hiatum multi et doctissimi viri, quo in numero est Vahlenus noster, assensu suo comprobaverunt.[1]) Quod cum ita sit, versus illos enumerare satis habebo, nisi forte aliam ob causam in suspicionem vocantur.

Senarios igitur in incisione hiulcos hos repperi: Amph. 3, 1, 14: *esse adsimulabo* | *atque in horum familiam*; Aul. 3, 5, 34: *stat fullo, phrygio,* | *aurifex, linarius*; voc. *phrygio* in Menaechmis legi certissimum est; v. 2, 3, 72; 3, 2, 4; 4, 1, 5; 4, 2, 54. At tamen Goetzius cum Vetere libro *phyrgio* in textu posuit. Aul. 4, 6, 13: *indeque observabo,* | *aurum ubi abstrudat senex;* Aul. 4, 8, 3: *memorare nolo,* | *hominum mendicabula*;[2]) Bacch. 2, 3, 45: *dum circumspecto,* | *atque ego lembum conspicor;* Bacch. 4, 9, 148: *domum re-*

---

[1]) haud aliter Brixius olim iudicavit; v. Men. ed. I p. 9 sq.
[2]) cf. Langen Symb. ad emend. et enarrand. Plaut. Lips. 1880 p. 155.

duco | *integrum omnem exercitum*; Men. 3, 3, 26: *iamne abiit intro?* | *abiit, operuit fores*; Men. 5, 3, 6: *lumbi sedendo,* | *oculi spectando dolent;* Merc. 1, 1, 6: *quos pol ego credo* | *humanas querimonias*; Mil. 4, 9, 3: *investigabo*; | *operae non parcam meae*; Most. 3, 1, 18: *dixi hercle vero* | *omnia.* — *Ei misero mihi*! Most. 3, 2, 94: *habent, ego habeo* | *homines clitellarios*; Most. 4, 3, 38: *turbavit?* — *Immo* | *exturbavit omnia*; Pers. 4, 3, 55: *at suo periclo* | *is emat, qui mercabitur*, ubi *eam* post *qui* Ambrosianus omittit. Poen, 3, 3, 81: *quam regi Antiocho* | *oculi curari solent*; sic recte Geppertus Ussingius dimetiuntur; neque quisquam post *regi* hiari posse putabit cum propter sonum tum propter dactylicam formam *Antioch* —. Poen. 3, 3, 88: *ibi te replebo* | *usque unguentum cheumatis*; Rescriptus exhibet *ibi ego te*: qua re Geppertus *ego* post *replebo* inserebat. Poen. 3, 5, 37: *idque in istoc adeo* | *aurum inest marsuppio*; Poen. 5, 2, 91: *patritus ergo* | *hospes Antidamas fuit*; Pseud. 1, 4, 17: *erum eccum video* | *huc Simonem una simul*; Pseud. 3, 2, 84: *immo edepol vero* | *hominum servator.* — *Ehem;* Pseud. 3, 2, 100: *em illic ego habito*; | *intro abi et cenam coque*; Stich. 3, 2, 23: *nescio quid vero* | *habeo in mundo.* | — *I modo.* — Alia pedum dimensione nonnullos hiatus sustuleris: Asin. 4, 2, 16: *cum suo sibi gnato* | *unam ad amicam de die*; Men. 2, 1, 26: *illoc enim verbo* | *esse me servom scio*; Merc. 4, 1, 25: *ecastor vero* | *istuc eo quantum potest*; Pseud. 4, 6, 10: *sive eam tuo gnato* | *hodie, ut promisit, dabit;* Trin. 1, 2, 169: *quod quisque in animo* | *habet aut habiturust, sciunt*; nam in primo versu Spengelius (Plaut. p. 56) *sibi* pro pede iambo accipit, id quod Ritschelius (Opusc. III p. 126) merito reprehendit; alterum emendare maluerunt quam pronuntiare *illóc enim* . .; tertium Ritschelius Goetzius minus bene dimetiuntur . . *istúc eó quantúm potest*, ut quattuor continuae voces in altera acuantur; in reliquis vocum *tuo habet* syllabam posteriorem producere possis. — Prorsus certi non sunt Truc. 3, 2, 20, de quo v. sup. cap. I § 10; Bacch. 2, 2, 19: *egone ut*, *quod ab illo* | *adtigisset nuntius,* ubi *illoc* facillime restituitur (cf. Ritsch. N. exc. 1,67); Mil. 1, 1, 23: *me sibi* | *habeto,* | *ego me mancupio dabo*; duos hiatus Ambrosianus habet; Palatini *habetot* vel *habeto et*, quod Ribbeckius interpretatur *habetod.* Melius Muellerus alii *ei* reponunt, quod reciperem, si in priore membro *is* traderetur. — Complures loci in hunc numerum asciscendi non erant: Poen. 5, 2, 101: . . *illo* | *ad te* . ., ubi solus Ambrosianus *illoc* recte exhibet. Idemque cadere videtur in Trinummi versum, ut in quo *haud nescias* ex Rescripto eruerit Ritschelius, ceteri adferant Trin. 1, 2, 24: *ne tu hercle faxo* | *haud scias* . . Contra in Ambrosiano hiatus traditur Poen. 5, 5, 43: *qui tibi lubido,* | *obsecro, Antamoenides*; Poen. 5, 6, 14: *duplum pro furto* | *opus est* . .; sed Palatini codices *es* h. e. *est* priore loco, posteriore *mihi* interposita habent. Porro eximendi sunt Merc. 3, 3, 9: *nam nunc si illo intro* | *ieris, amplecti voles*; sic enim ex libris Decurtato Vaticano Ussingius, Ritschelius (N. exc. 1, 82) ex Vetere

illuc edidit. Curc. 1, 1, 3: *quo Venus, Cupido* | *imperat suadetque Amor*, ubi ex Nonio Servio *Cupidoque* editores in textum receperunt; cf. Studem. Ann. 93 p. 62. Poen. 5, 2, 8: *creta est profecto* | *haec horum hominum oratio*; nam genetivi *horum harum* nusquam ita ponuntur, ut cum sequenti vocali coniungendi sint; [1]) qua re *horunc* cum Bothio scribendum est. Poen. 5, 6, 32: *malum postremo* | *omne ad lenonem redit*; et hic versus ideo reiciendus est, quod in spurio fabulae exitu legitur; in Ambrosiano vero *reccidit* pro *redit* fuisse iam Studemundus suspicatus erat. Truc. 3, 1, 20: *qui non extemplo* | *ieris* . . ubi Brixius [2]) *introieris* pro *ire si* recte scribere videtur. Truc. 3, 2, 16: *quid id est amabo?* | *istaec ridicularia*; sic Spengelius olim (Plaut. p. 198); in exemplari idem vir doctus *mitte*, Schoellius *siste* posuerunt.

Haec quidem de senariis; subiciam septenarios trochaicos, in quorum caesura post o litteram hiatur: Amph. 1, 1, 252: *fecit hercle*; *nam* ⟨*mi*⟩ *misero* | *etiam nunc malae dolent*; Amph. 2, 2, 41: *ni* | *ego illi puteo, si occepso,* | *animam omnem intertraxero*; post *omnem* hiatum non facile quisquam statuet, ne duae breves syllabae ante legitimam incisionem collocentur. Amph. 4, 1, 4: *apud emporium atque in macello,* | *in palaestra atque in foro*; Amph. 4, 3, 16: *seu patrem sive avom videbo,* | *optruncabo in aedibus*; Asin. 2, 1, 55: *certe hercle ego quantum ex augurio* | *auspicioque intellego*, de quo v. Ritsch. N. exc. 1,74 cum adn. Bacch. 3, 2, 10: *nam pol quidem meo animo ingrato* | *homine nihil infensiust*; cf. Ritsch. N. exc. 1, 75 adn. 2; Weis. l. l. p. 11. Bacch. 3, 3, 12: *paulisper, Lyde, est lubido* | *homini suo animo obsequi*; Bacch. 3, 3, 43: *itur illinc iure dicto.* | *hocine hic pacto potest*; Capt. 2, 2, 99: *ne vereare*; *meo periclo* [3]) *huius ego experiar* [*vice*] *fidem*; Curc. 2, 3, 90: *tu tabellas consignato*; | *hic ministrabit, ego* | *edam*; ut alterum post *ego* hiatum removerent, Fleckeisenus Reizius ⟨*dum*⟩ *ego* scribi voluerunt: possis tamen dimetiri *hic ministrabit ego edám.* Curc. 5, 3,12: *atque ita te nervo torquebo,* | *itidem ut catapultae solent*; Men. 4, 2, 40: *ne illam ecastor faenerato* | *abstulisti. sic datur*; Men. 5, 2, 57: *iam* | *ego ex hoc, ut factum est, scibo*: | ⟨*ibo*⟩ *ad hominem atque adloquar*; sic cum Camerario Vahlenus Ussingius versum mutilum restituerunt. Men. 5, 2, 98: *ne hic te obtundat.* — *Fugio. amabo,* | *adserva istunc, mi pater*; Men. 5, 2, 106: *osse fini dedolabo* | *assulatim viscera*; Men. 5, 2, 117: *sed quis hic est qui me capillo* | *hinc de curru deripit?* Men. 5, 5, 47: *helleborum potabis faxo* | *aliquos viginti dies*; Men. 5, 7, 24: *maximo hodie malo hercle vostro* | *istunc fertis*: *mittite;* Merc. 3, 4, 11: *sed isne est,*

---

[1]) v. Schmidt de pron. dem. p. 49 sq., qui in anapaesto versu Aul. 4, 9, 9 'horunc' verissime restituit; in Epidico autem (2, 2, 54) codex Rescriptus 'earum' formam scriptam habet teste Goetzio.

[2]) Men. edit. 1 p. 10; Epist. ad Speng. Progr. Liegn. 1868 p. 3 sq.

[3]) in medio versu 'periclo' semper dici Kampmannus animadvertit (Res milit. Plaut. Vratisl. 1839 p. 21 sq.).

quem currentem video? | *ipsus est. ibo obviam*; Merc. 5, 2, 17: *me usque quaerere illam, quoquo* | *hinc abductast gentium*; Merc. 5, 4, 61: *neu quisquam posthac prohibeto* | *adulescentem filium*; Mil. 2, 2, 82: *nunc sic rationem incipisso.* | *hanc instituam astutiam, Ut* . . . sic Ribbeckius Ussingius; aliter Brixius. Mil. 4, 4, 32: *ne ille mox vereatur intro* | *ire in alienam domum*; Mil. 4, 8, 32: *age, Palaestrio, bono animo* | *es.* — *Heu, nequeo quin fleam*; Mil. 4, 8, 34: *sed quid hoc? quae res? quid video?* | ⟨*o*⟩ *lux salve.* — ⟨*Salva sis*⟩; sic fere Ribbeckius Brixius versum definiunt. Mil. 5, 5: *quin iam dudum gestit moecho* | *hoc abdomen adimere*; Most. 2, 1, 47: *nam intus potate haud tantillo* | *hac quidem causa minus*; Pers. 4, 4, 110: *faciam ita ut te velle video.* | *ut emas, habe centum minis*; in codicibus est *trecentum* vel *trecentis*, unde Bothius voluit *habe tibi centum.* Pers. 5, 2, 16: *at tibi ego hoc continuo cyatho* | *oculum* | *excutiam tuom*; alterum hiatum Ritschelius sustulit male transponendo *ego continuo cyatho* | *oculum hoc exc.*; saltem post *cyatho* pronomen collocandum erat. Muellerus Spengelius (de em. metr. p. 391) anapaestos describunt. Poen. 5, 5, 9: *sed mea amica nunc mihi irato* | *obviam veniat velim.* — Fortasse adsumendi sunt duo versus: Amph. 1, 3, 52: *dies e nocte accedat. ibo* | *et Mercurium subsequar*; Mil. 2, 2, 112: *res paratast*; *vi pugnando* [*que*] | *hominem capere est certa res*; quamquam prioris versus initium nondum sanatum est; in posteriore particula *que*, quam libri adnectunt omnes, a Fleckeiseno[1]) deleta est: et facile ex o littera illud q oriri potuit; cf. ex contrario Curc. 1, 1, 3 et Asin. 2, 1, 15.

At certe eundem in caesura hiatum statuemus, etsi alia dimensione uti possimus, his novem locis: Amph. 2, 2, 209: *non ego illam mihi dotem duco* | *esse, quae dos dicitur*; Amph. 5, 1, 42: *manibus puris, capite operto.* | *ibi continuo contonat*; Capt. 4, 2, 80: *non enim es in senticeto*; | *eo non sentis. sed iube*; Curc. 2, 3, 66: *'dedistin tu argentum?' inquam.* | *'Immo* | *apud tarpezitam situm est'*; Epid. 5, 1, 46: *tibi quidem, quod ames, domi praesto* | *est, fidicina, opera mea*; Merc. 2, 4, 2: *fuisse credo, praeut quo pacto* | *ego divorsus distrahor*; Pers. 2, 2, 41: *par pari respondes dicto.* | *abi iam, quando ita certa rest*; Pseud. 2, 4, 72: *avi sinistra, auspicio liquido* | *atque ex* ⟨*mea*⟩ *sententia*; Truc. 2, 5, 13: *id illi morbo,* | *id illi senio,* | *ea illi misera miseriast*; ex his quartus et ultimus versus binos hiatus praebent. Qua de causa in Truculento Muellerus *id illi senio, ea illi* . . legebat, id quod primo pede *id illi* minime commendatur (ceterum cf. infra). In Curculionis versu utrumque hiatum Pylades expulit, qui *inquit* post *immo* addidit; possis etiam de verbo *dedidisti* cogitare: nec tamen haec opus sunt. Nam in tertia sede facilior fit vocalium concursus orationis mora; alterum vero hiatum vix quisquam ita evitabit, ut pronuntiet *apúd* . . Neque in reliquis versibus voces *illam* in priore, *ibi eo domi ego abi mea*

[1]) Annal. 107 a. 1873 p. 502.

in posteriore syllaba acutae placent. — Atque iisdem exemplis adnumerandus esse videtur v. Mil. 3, 1, 43: *ut apud ⟨te⟩ exemplum experiundo | habeas, ne quaeras foris*; nam quod libri tradunt *experiundi* ab Ribbeckio[1]) emendatum est; idem tamen *ted* formam posuit. — Nonnullis locis pro certo dici non potest, utrum in incisione an in alia versus sede hiatus accidat: Amph. 2, 2, 82: *ecastor equidem te certo heri advenientem ilico*; Asin. 2, 2, 112: *ille est ipsus. iam ego recurro huc*; *tu hunc interea hic tene*; Curc. 5, 3, 2: *nam et bene et male credi dico*; *id adeo hodie expertus sum*; nam in Amphitruone aut *cérto* | *héri* | *adveniéntem ílico* aut *cérto heri ádvenientem* | *ílico* pronuntiandum est. In Asinaria cum probabilitate *interea* non coniungitur, qua re neque vocabula *recurro huc* dirimuntur et dactylica vox evitatur (Speng. Plaut. p. 227 sq.). In Curculione denique aut *dico* aut *adeo* integrum manet; neque enim deteriorum codicum scriptura, qui *ego* pronomen inserunt, nobis utendum est. — Pauca extant, quae hoc loco praetermittenda sunt: Pers. 4, 4, 27: .. *venio, adduco* | *hanc* .. ubi Ambrosianus teste Studemundo (Annal. 93 p. 60) *adduco ad te hanc* exhibet. Idemque liber hos hiatus exemit: Pseud. 2, 2, 60: *hostis vivos rapere soleo* | *acie*; *ex hoc nomen mihi est*; Truc. 2, 1, 17: *quemquem hominem attigerit, profecto* | *aut malum aut damnum dare*; ille enim optimus codex *soleo ex acie* et *profecto ei aut* verissime tradit. Ex contrario non probatur eiusdem lectio Trin. 4, 3, 64: *satin oculis ego plane video?* | *estne hic an non est? is est*; immo *estne ipsus an* .. ex Palatinis restituendum est cum Fleckeiseno (Annal. 93 p. 61 adn. 1).

Ut de septenarii, ita de octonarii trochaici caesura iudicandum est, in qua concursum vocalium habes Bacch. 4, 3, 1: *petulans, protervo, iracundo* | *animo, indomito, incogitato*; Pseud. 1, 3, 3: *nihil curassis*; *liquido es animo*; | *ego pro me et pro te curabo*; hoc tamen loco trochaeos, non anapaestos solus Ussingius recte agnovit.

Veniamus nunc ad ea exempla, quae in persona mutata hiatum praebent. Et hos quidem hiatus praeter Muellerum Goetzium nemo vir doctus improbavit; v. Speng. Plaut. p. 201 sq.; Ritsch. Prol. Trin. p. 189; Opusc. phil. II p. 192 et 446 cum adn. Senarii igitur iambici huc referendi sunt: Aul. 2, 4, 28: *immo equidem credo.* | —*At scin etiam, quo modo?* Bacch. 2, 2, 33: *tanto hercle melior.* — *Immo* .. | — *Immo hercle abiero*; Men. 3, 3, 23: *non habeo.* | — *At tu, quando habebis, tum dato*; Mil. 4, 7, 24: *habeo equidem herce oculum.* — *At laevom dico.* | — *Eloquar*; Most. 3, 1, 40: *spes est de argento.* | — *Hilarus est; frustrast homo*; Pers. 4, 9, 13: *sine dicam.* — *Nolo.* | — *Audi.* — *Surdus sum: ambula* (cf. cap. I § 10); Poen. 5, 2, 152: *statura haud magna, corpore aquilo.* | — *Ipsa ea est*; Pseud. 1, 5, 38: *tibi auscultabo.* | — *Itur ad te, Pseudole*; Stich. 3, 2, 23: *nescio quid vero* | *habeo in mundo.* | — *I modo.* — Eodem pertinere mihi videntur Amph. 3, 2, 68: *ego istuc curabo.* | — *Evo-*

[1]) Mus. Rhen. 29 a. 1874 p. 23.

cate huc Sosiam; Asin. 4, 2, 18: *ego istuc curabo.* | — *At ego te opperiar domi;* cum Muellero Goetzius male dimetitur *ego istuc cúrabo;* Men. 2, 2, 7: *non hercle vero.* | — *Ubi convivae ceteri?* in quo *ubi* pro iambo esse possit; Truc. 3, 2, 28: .. *dico?* | — *I intro* .. cf. cap. I § 2*;* et vocabula *i intro* etiam in initio versuum saepissime trochaeum explent. — Aliquid dubitationis habet Most. 3, 1, 59: *iam hercle ego illum nominabo.* | — *Euge strenue*, quia cum Muellero ante Tranionis verba *euge strenue* rectius quam post versum 59 defectus statuitur. — Egregie emendatus est Stich. 5, 2, 20: *sequere ergo* | *hac me* | *intro.* | — *Ego vero sequor;* [1]) Ritschelius enim addito Sagarini nomine, cuius extrema sunt, hiatus sustulit omnes: .. *ergo hac me intro,* ⟨*Sagarine*⟩. — *SAG. Ego vero sequor.*

Iam septenarios componam, qui in finita oratione vocalium concursum exhibent: Amph. 1, 1, 188: *ain* ⟨*tu*⟩ *vero?* | — *Aio enimvero.* — *Verbero.* — *Mentiris nunc;* de initio v. cap. I § 4; Camerarius *nunciam* scripsit nullo hiatu. Epid. 2, 2, 117: *face modo; est lucrum hic tibi amplum.* — *Deos quidem oro.* | — *Impetras*; Men. 2, 3, 29: *in Epidamno.* | — *In Epidamno*, *qui huc in hanc urbem pedem*; Men. 2, 3, 68: *nunc quando vis*, *eamus intro.* | — *Etiam parasitum manes?* Men. 5, 9, 35: *hunc meum fratrem esse.* — *Spero.* | — *Et ego idem spero fore*; Mil. 2, 5, 35: *non omitto.* | — *At mihi iam crepabunt manus*, *malae tibi*; sic Vetus habet; *mihi*, quod reliqui libri omittunt, editores post *crepabunt* collocant. Mil. 4, 8, 2: *ubi pulcherrume egi aetatem*, | *abeo.* | — *Em* | *hominem tibi*; sic fere Decurtatus Vaticanus; in Vetere est *video abeo hom.*; qua re *inde abeo* non improbabiliter restituitur, quamvis non flagitet usus; v. Uss. adn. ad h. l. et ad Amph. 38. Mil. 5, 34: *causam haud dico.* | — *Eamus intro*, *Cario.* — *Servos meos*; Most. 5, 2, 53: *nihil opust profecto.* | — *Age iam sine te* | *exorarier*; Pers. 4, 3, 13: *quid agis?* — | *Credo.* | —*Unde agis te, Dordale?* — *Credo tibi;* Pseud. 4, 2, 40: *propera perlegere epistulam ergo.* | — *Id ago*, *si taceas modo*; cum Bothio transponunt *ergo epist.* Stich. 1, 2, 90: *nunc, soror, abeamus intro.* | — *Immo intervisam domum*; Truc. 2, 7, 59: *perii hercle hodie, ni hunc a te abigo.* | — *Accede huc modo*, *adi huc modo.* — De alia vocum dimensione cogitari possit his locis: Asin. 5, 2, 51: *quid, quom adest?* — *Perisse cupio.* | — *Amat homo hic te, ut praedicat*; Merc. 2, 3, 102: *nequiquam poscit*; *ego habebo.* | — *At illic pol licitust prior* (*pol licitust* duobis verbis reposuit Forchhammerus apud Uss. vol. IIII 2 praef. p. 4 et 6); Merc. 5, 2, 66: *est profecto.* | — *Opta ergo ob istunc nuntium quidvis tibi*; Mil. 4, 8, 15: *quom te video.* | — *Habe bonum animum.* — *Scio ego quid doleat mihi*; Truc. 5, 22: *accipe hoc atque auferto intro.* | — *Ubi mi amicast gentium?* in Mercatore Goetzius *at illic* et *opta ergo ob istunc* legi vult; in reliquis vocabulorum *amat habe ubi* syllabam

---

[1]) initium versus immerito immutat cum Muellero Kellerhoffius de coll. verb. p. 37 sq.

posteriorem producere non ita falsum est. — Neque minus recte post *em* et post *verba* quam post o litteram hiatur Curc. 1, 3, 56: *quando ego te videbo? — Em istoc verbo vindictam para*; Pers. 2, 2, 68: *nisi fortasse blanda verba. — Abi: et ego abiero. — Ambula.* — Dubius esse potest, quia *illoc* cum Muellero asciscere nullam habet difficultatem: Capt. 2, 2, 104: *mihi des pro illo?* | — *Optume immo..* — Eximendus vero est de hoc numero v. Most. 4, 2, 61.

Porro huc spectat octonarius iambicus Epid. 1, 1, 61: *potin ut molestus ne sis? — Abeo.* | — *Adsta; abire hinc non sinam*; atque meo iudicio octonarius trochaicus Pers. 1, 1, 15: *is est profecto.* | — *Eum esse opinor. — Congrediar. — Contra adgredibor.*

Ut hos locos paulisper praetermittamus: restant haud ita pauci, quibus tali modo non opitulemur.

Atque ut a senario iambico exordiar, in altera sede his locis hiatum invenimus: (1.) Aul. 4, 7, 19: *ibo intro,* | *ubi de capite meo sunt comitia*; Ritschelius, qui adverbium *ubi* pro iambo pede positum merito dissuadet, aut secundum ea quae in Novis excursibus 1, 81 sq. exposuit, *introd* scribere aut priscam formam *cubi* hoc loco, aliis *cunde cusque cumquam cutrumque cundique* in Plauti fabulas inducere vult[1]). At illa forma *introd* nulla est. Alteras autem priore aetate aliquando usu receptas fuisse iunctae voces *alicubi sicubi numcubi* aliae comprobant. Sed ut simplices *cubi* ceteraeque ad Plauti tempora manserint inde minime consequens est. Immo cum uno Trinummi versu 4, 2, 89, ubi in Vetere est *nón illa cúbitus gignitur*, nihil evincatur[2]), Ritschelii argumentatio mihi probata non est. Hoc tamen inde discimus, huic viro docto persuasum fuisse alio modo versui medicinam non quaerendam. 2. Bacch. 2, 3, 98: *quine auro* | *habeat soccis suppactum solum?* Ritschelius in editione *soccis habeat*, postea (N. exc. 1, 63) *aurod* posuit. 3. Most. 2, 2, 67: *hic habito*; | *haec mihi deditast habitatio*; idem criticus anaphoram quae dicitur transponendo corrupit. Spengelius (Plaut. p. 222) Lorenzius id excusant, quod oratio paulisper intermittatur. 4. Poen. 5, 2, 22: *adibo* | *hosce atque adpellabo Punice*; verbum *adibo* non coalescit, sive illam Rescripti et Veteris scripturam sequeris, sive ex Decurtato et Vaticano depromere mavis *adibo* | *atque hosce adp.*, quae lectio sane digna est quam spectemus. Novissimi editores Camerarii emendationem *adibo* ⟨*ad*⟩ *hosce* sibi sumpserunt: at quamquam Stich. 1, 1, 83 eundem hiatum *adibo* | *hominem* et Vetus et

---

[1]) Opusc. phil. III p. 135 sq. (Mus. Rhen. 25 a. 1870 p. 306 sq.)

[2]) idem Brixius putat, cum 'cubi' Trin. l. l. damnat — 'da ein Abschreiber das zufällig zusammengeschriebene 'ubitus' durch Vorsetzung des c wenigstens zu einem lateinischen Worte machen wollte' (v. adn. crit, et cf. Muell. Suppl. pros. p. 29 adn.); quod si est, nulla ratione in versu 1, 2, 121 'cunde' in textum recipere debuit — 'weil Ritschl diese älteren Formen aus direkten und indirekten handschriftlichen Zeugnissen . . . erwiesen'; neque enim praeter illud 'cubitus' quidquam in codicibus extat.

Ambrosianus codex delet interposito *ad*, hoc Poenuli loco praepositionem ferri non posse nemo est quin sentiat. 5. Stich. 3, 2, 6: *auspicio* | *hodie* | *optumo exivi foras*; ita cum Rescripto Palatini praebent; *auspiciod* scribere satis erat, cum alter hiatus in caesura accidat: Ritschelio vero, quia et *hodie* et *hocedie* formis illud d adiungere non dubitavit, tres versus formationes praesto erant (N. exc. 1, 95 sq.): *auspiciod hodied* .. vel *auspiciod hocedie* .. vel *auspicio hocedied* .. — Ambigi potest, num huc pertineat Bacch. 4, 8, 66: *quid eo intro* | *ibis?* — *Ut eum dictis plurumis*; in quo Ritschelius (N. exc. 1, 81) *introd* scripsit, ut in Aululariae versu supra laudato al. Neque inepte *intro ire* duo verba, non verbum iunctum esse existimatur, quod saepissime *intro abire* vel inverso ordine *ire intro*, *abire intro* legitur. Sed etiamsi post *intro* caesura incidit (ut Mil. 4, 4, 32), non minus verbum iunctum esse potest quam *intellegere* Trin. 5, 2, 21. Nec tamen quidquam demonstratur huius modi locis: *intro edmus*, *intro eündi*, *intro edt* (Bacch. 1, 1, 72; Merc. 5, 2, 75; Most. 2, 1, 43). — His quinque vel sex exemplis adici possunt: Aul. 2, 5, 3: *atque abi intro illuc, et vos illum sequimini*; Bacch. 2, 3, 77: *si me illo auro tanto circumduxerit*; etsi in altero ante *intro* eodem iure quo post hiatur; in altero Fleckeisenus *med*, Ritschelius *illoc* in textum recepit (v. N. exc. 1, 43). — Neque minus in medio relinquendi sunt: Amph. 1, 2, 9: *conplebo atque omnem Amphitruonis familiam*; Asin. 1, 1, 90: *perficito argentum hodie ut habeat filius*; Bacch. 2, 3, 27: *continuo antiquom hospitem nostrum sibi*; Merc. 2, 1, 35: *inscendo in lembum atque ad navem devehor*; quamquam mihi quidem persuasum est in incisione his locis hiari, licet Ritschelius secundo et tertio *perficitod*, *continuod* probaverit (N. exc. 1, 86 et 102); porro neglegendi erant versus Stich. 5, 2, 20, de quo paulo supra dictum est; Trin. 3, 3, 27: *quo pacto* | *igitur clam dos depromi potest?* sic ex Rescripto adfertur; sed Palatini *ergo* additum habent, quod in illo codice post *pacto* facile intercidit, ita ut eodem modo quo Most. 3, 2, 161 oratio abundet.

In quarto iambo haec habes: 1. Mil. 4, 3, 43: *una exeuntis video* | *hinc e proxumo*; Ussingius cum Gertzio *huc*, Ritschelius *iam*, Bothius *ego* inseruerunt. 2. Most. 3, 1, 30: *cape, obsecro hercle, cum* | *eo* | *una iudicem*; comparandum est quod in Menaechmis legitur *cum* | *utro* | *hanc noctem sies* (1, 3, 6): quos hiatus ea excusatione defendere possumus, quod post iambica vocabula fiunt; cf. Lachm. ad Lucr. III 941 p. 195 et ad III 954 p. 200. Ritschelius olim verbo obsecrandi *te* adiunxit contra Plauti consuetudinem:[1]) idem tamen criticus mutatione opus non esse concedit, cum (N. exc. 1, 64) *eod* reponit. 3. Poen. 2, 7: *quoniam litare nequeo,* | *abii illim ilico*; Gepperto *non queo* placuit, Ritschelius *ego* indidit.

---

[1]) sic recte Brixius ad Men. 1013; Loch. de imperat. ap. Plaut. usu Progr. Mem. 1871 p. 13 sq.

4. Poen. 3, 3, 72: *blande hominem conpellabo.* | *hospes hospitem*; nihil novant editores. 5. Poen. 5, 2, 130: *inimico possum, amico* | *insipientia est*; hanc simplicem verborum compositionem turbant, qui *amico est insipientia* transponunt. 6. Stich. 1, 3, 68: *logos ridiculos vendo.* | *age, licemini*; sic etiam Ritschelius Fleckeisenus. Nescio an adnumerandus sit (7.) Stich. 1, 3, 4: (*neque quisquam melius referet matri gratiam,*) *Quam ego meae matri refero* | *invitissimus*; in hunc modum Ambrosianus; neque aliter Palatini praebent, nisi quod *matri meae* convertunt. At cum Charisio teste *fami* dativo casu Plautus in Sticho posuerit, Ritschelius tali modo versum constituit: *quam ego matri refero meae* ⟨*Fami*⟩ *invitissimus.* Mihi tamen — nisi Charisius de fabula erravit — aptius faciliusque videtur FAMI (FAMEI) in MEAE locum substituere. — Incerti sunt tres loci: Mil. 4, 7, 25: *maris*[1]) *causa hercle hoc oculo* | *utor minus bene*; Mil. 4, 9, 4: *me quaerit illic*; *ibo huic puero obviam*; Stich. 1, 3, 95: *ego illuc mehercle vero eo quantum potest*; nam in hoc versu *eo* pro iambo accipit Goetzius; Ussingius in altero melius post *puero*, in primo minus bene post *hercle* hiari iubet. — In coniectura valde probabili positum est: Truc. 1, 1, 71: *eo isti supposito puero* | *opus* ⟨*est*⟩ *pessumae*; nam in libris est *eum isti suppositum puerum opus pessime*; cf. Ritsch. N. exc. 1, 70. — Pridem correctum est quod in codicibus exhibetur Men. 2, 1, 45: . . *quando* | *habeo, cavero,* quemadmodum, ne longius abeamus, in versu 1, 2, 61 *iubeo* pro *iubebo* in Vetere scriptum videmus.

Porro ante extremum creticum in his senariis hiatur: 1. Curc. 2, 2, 8: *facit hic, quod pauci, ut sit magistro* | *obsequens*; Muelleri coniectura *oboediens* Goetzio probata est; Brixius parum feliciter — ut Ussingii verbis utar — *magisterio* scribendum proposuit. Spengelius autem (Plaut. p. 235 sq.) tales quidem hiatus retinendos esse censuit, quia in hac senarii sede morae aliquid in pronuntiando intercederet[2]). 2. Curc. 3, 59: *miles Lyconi* | *in Epidauro* | *hospiti*; v. Speng. Pl. p. 236. Vulgo cum Fleckeiseno ponitur *Epidauro* ⟨*hospes*⟩ *hospiti*; sed in sermone communi, qui est in epistulis, hiatus minus offendunt; v. supr. p. 4 cum adn. 2. 3. Epid. 2, 3, 1: *nullum esse opinor ego agrum* | *in agro* | *Attico*; Lomanus *in* ⟨*omni*⟩ *agro* restituit, eumque editores sequuntur. At *omni* probabilius ante quam post *in* excidisse recte sensisse videtur Ritschelius, quippe qui (N. exc. 1, 69 sq.) de ⟨*omni*⟩ *in agrod* cogitaret. Si nihil additur, praeterea aut ante aut post *agrum* hiatur. 4. Men. 3, 3, 3: *atque huc ut addas auri pondo* | *unciam*; Ritschelius in

---

[1]) v. Ussingii adnot.

[2]) Luchsius vero (Studem. Stud. I 1 p. 6 sq.) in eadem illa sede caesuram seminovenariam interdum statuendam esse opinatur. Sed de ea ne cogitari quidem potest, nam ii senarii, quos adtulit, aut legitimam aut semiseptenariam incisionem etiam tum habent, si in ipsa incisione vocales coniungendae sunt.

editione verbis male Latinis usus [1]) *pondo* ⟨*unam*⟩ *unciam*, postea (N. exc. 1, 64) *pondod* scripsit. 5. Merc. 2, 2, 41: *Lysimache, auctor sum ut me secando* | *enices*; in quo *secando enices* Niemeyerus [2]) Ussingius restituerunt pro eo quod in omnibus codicibus exhibetur *amando enices*; neque enim Veteris *amando hic ē* aliud valet nisi *amando nices*. Goetzius iniuria illud *amando* retinuit, hiatumque qui aut post vocativum in altera thesi aut in tertia post monosyllabum accidit, removere studuit, id quod simpliciter *med* forma potuit efficere. 6. Stich. 1, 3, 26: *propterea, credo, nunc essurio* | *acrius;* v. Speng. Pl. p. 235. In Ritschelii exemplari *adessurio* scriptum videmus. Hisce exemplis addo 7. Capt. 3, 3, 17: *nugas, ineptias incipisso?* | *haereo*; cui versui vim attulerunt editores; et 8. Most. 3, 1, 56: *immo abi domum*; *verum hercle dico*; | *abi domum*; Ritschelius tamquam ex Rescripto post alterum *abi* interposuit *modo*, quod in Palatinis pro *domum* illatum est; sed in Ambrosiano Studemundus *abi domum* legit [3]). Hiatus autem statuendus est, ne in duobus iambis versus desinat. — Melius huic numero adscribuntur Men. 3, 2, 30: *qui mihi male dicas homini ignoto* | *insciens?* [4]) Mil. 4, 9, 4: . . *ibo huic puero* | *obviam*; atque ita priorem versum Spengelius (Pl. p. 235), alterum Ussingius dimetiuntur; possit tamen utroque loco post quartam thesim non elidi. — In dubio relinquendi sunt Aul. 3, 6, 2: *ain? audivisti?* — *Usque a principio* | *omnia*; Most. 2, 2, 33: *di te deaeque omnes faxint cum isto* | *omine*; Most. 3, 1, 143: *sane in loco emit perbono.* — *Immo optumo*; Most. 4, 3, 20: *quid, a Tranione servo?* — *Multo* | *id minus*; in primo versu Ussingius in incisione hiari iubet; Bentleius *audivistin* scripsit, idemque ascivit Goetzius. In secundo editio princeps *istoc* posuit, quod editores receperunt. Iam in tertio creticam vocem *perbono* non coniungere licet; in Rescripto autem *immo optuoptumo*, non *immo in optimo* traditur; v. Geppert. Stud. Plaut. II p. 5 sq. In quarto denique libri Vetus et Vaticanus post *multo* intervallum praebent, qua re Ritschelius *hercle* supplevit. — Certum est huc referri non debere Poen. 5, 3, 16: . . *quando hic hic adest*, in quo Decurtatus *quando* | *hic adest* habet.

Deinceps de iis hiatibus dicatur, qui in septenario trochaico inveniantur. In primo igitur pede unum certum exemplum repperi: 1. Pers. 4, 4, 65: *virgo*, | *hic homo probus est.* — *Credo.* — *Non diu apud hunc servies*; olim viri docti ordine immutando versum sanare studuerunt; Ritschelius . . *probust. Credo* ⟨*edepol*⟩. *Non* scripsit. At verissime Spengelius (Pl. p. 218) omnes criticorum conatus reiecit atque id excusavit, quod vocativus semper liber solutusque est. Huc accedere possunt: Mil. 4, 4, 41: *facito*, | *ut*

---

[1]) v. Studem. comment. de Vid. Plaut. (Ind. schol. hib. Univ. Gryph. 1870 et 71) p. 14 adn. 8.
[2]) Herm. 14 a. 1879 p. 449 sq.
[3]) cf. Studem. Stud. I 1 p. 50.
[4]) de extremo versu v. Vahl. adnot.

venias ⟨ornatu⟩ ornatus huc nauclerico, ubi tamen nihil facilius esse dicas quam *uti* ponere. Atque in Trinummo lacuna, quam soli codices Decurtatus Vaticanus servatam habent Trin. 4, 2, 104: . . . . *o hercle, si est molestum.* — *Nam pudicum neminem* fortasse non cum Ritschelio *taceo ego hercle* explenda est, sed *taceo* | *hercle*; ita enim illud quattuor litterarum spatium optime tenetur. Et haec opinio Persae versu 4, 4, 71 commendatur et comprobatur, ubi iidem duo codices in hunc fere modum scribunt

Malum meum *di istam* . .
habet cor quam . .
Tibi est *non te* . .

quam in lacunam bene quadrat quod in Ambrosiano servatur *Ut sapiens* (*habet cor* . .). — Dubitationem iniciunt: Asin. 5, 2, 90: *immo* | *intus potius sequere hac me, mi anime.* — *Ego vero sequor*; nam *intus* vitiosum est; Fleckeisenus *intro* restituit, Goetzius Loewius liberius *intro eamus potius: sequere* . . Aul. 3, 3, 7: *intro abi. opera huc conducta est vostra, non oratio*; Ritschelius (N. exc. 1, 81 sq.) *est conducta* transponere mavult quam *introd* recipere. Mea quidem sententia Spengelius verum invenit, cum (Plaut. p. 218) *abi* in altera syllaba acueret; v. Sent. controv. I. Nam *abite*, quod Goetzius cum Lomano Muellero edidit, speciosa, non vera est coniectura; vide eiusdem scaenae versus 10 et 11 et Mercatoris scaenam quartam actus quarti, ubi coquus eiusque operae saepe singulari, non plurali numero appellantur, quia ille solus verba facit; itemque in Poenulo advocati duo v. 3, 4, 18. 23. 24. — Manifesto peccatum est a librariis Truc. 4, 2, 39: *immo* | *istoc ad vos ire.* — *Non potest: nimium petis*; quod tum demum stare posset, si infinitivus *ire* abesset; Buechelerus supplevit *ad vos* ⟨*volo*⟩ *ire*.

In altero trochaeo haec collocantur: 1. Asin. 5, 2, 71: (*pol me quidem*) *Miseram* | *odio* | *enicavit.* — *Surge amator, i domum*; ut duplicem hiatum eximerent, Fleckeisenus *istic*, Bentleius *suo* post *miseram* addiderunt; traiectione usus est Guyetus hac *Enicavit odio miseram*: qua adiectivum a *me* pronomine non bene seiungitur. 2. Curc. 5, 3, 17: *hocine pacto* | *indemnatum atque intestatum me abripi*? hiatum hiatu expellit Goetzius; nam si *me* ex ultimo versu in tertiam sedem retrahitur, in sexta potius quam in quarta thesi hiatum habemus. Antea *hinc* vel *vi* interponebatur. 3. Pers. 2, 2, 9: *faciam.* — *Quo ergo* | *is nunc*? — *Domum*: *uti domi sim, quom illi censeas*; sic cum Rescripto codices; *ergo nunc is* apud Ritschelium legitur. (4.) Poen. 5, 5, 11: *ita replebo* | *atritate*, | *atrior multo ut siet*; Geppertus *replevero* haud male coniecit; cf. Lor. ad. Most. (1883) v. 590. 5. Stich. 2, 2, 60: *iam non facio* | *auctionem*: *mihi optigit hereditas*; ita libri omnes, nisi quod in Palatinis *faciam* traditur. Viri docti aut convertendo (*iam non auctionem facio*) aut addendo (*iam* ⟨*ego*⟩ *non* et *iam* ⟨*iam*⟩ *non*) locum tentaverunt. 6. Truc. 5, 17: *respice ergo*: | *accipe hoc, qui* | *istuc efficias opus*; priorem huius versus hiatum Bothius non inepte

exemit, cum *atque* insereret; cf. Stich. 1, 2, 97; de altero v. cap. I § 2. — Porro in codicibus haec exhibentur: Curc. 5, 2, 30: *miles, quaeso,* | *ut mihi dicas, unde illum habeas anulum*; Most. 5, 2, 50: *mitte quaeso* | *istum. — Viden ut ri* ⟨*dens ad*⟩ *stat furcifer?* Stich. 4, 1, 46: *quis istuc, quaeso?* | *an ille quasi ego? — Is ipse quasi tu.* ⟨*tum*⟩ *senex*; Truc. 5, 66: *i intro amabo,* | *et tu ergo a me: post tu eris mecum quidem*; Merc. 2, 4, 20: *Achillem orabo,* | *aurum ut mihi det, Hector qui expensus fuit*; horum nullum hiatum prorsus certum esse lubenter concedo. Nam in Curculione nullo negotio *uti* reponimus — quae editores voluerunt, minime laudo —. Mostellariae versum ex Ussingii coniectura adscripsimus; in libris iusto brevior traditur: . . *viden* (*vident* in Vetere, unde *viden tu* Ussingius) *ut restat furcifer.* In tertio etiam Ritschelius vocalium concursum admittit, cum voces *an ille* eodem modo tribrachyn esse putat, quo tribus versibus ante *quis istuc dicit? án ille quasi tu?* . .; Goetzius autem voculam *ille* tertium pedem efficere significat. Idem vir doctus in Mercatore dimetitur *orábo, aurum út mihi det.* In Truculento denique Schoellius apte *abi* post *ergo* inserit. Quae cum ita sint, possumus de hiatu dubitare; sed dubitabimusne? Ego quidem solum Truculenti versum in medio ponam; cetera exempla[1]) adeo similia sunt, ut hiatus inter se defendant. — Non nihil sane scrupuli iniciunt hi loci: Most. 5, 1, 65: *iam iubebo* | *ignem et sarmen, carnifex, circumdari*; voc. *sarmen* nihil esse Ussingius existimat, neque ullo alio loco extat; recte igitur cum Pylade Ussingius Lorenzius *sarmenta* videntur scripsisse. Truc. 2, 5, 13: *id illi morbo,* | *id illi senio,* | *ea illi misera miseriast*; in quo vix *id illi senio, ea illi* . . pronuntiandum supra vidimus; editores bis verbum *est* addiderunt, quod posteriore loco codices deteriores, non Vetus, exhibent. Truc. 5, 25: *sed eccam video:* | *heus, amica, quid agis* [*mille*]? — *Quis illic* ⟨*est*⟩ *homo? mille* Spengelius delevit; aliter Brixius versum conformavit: . . *video amicam: heus, quid agis, mulier? Quis* . . — Ex optimis libris emendantur Most. 4, 2, 34: *puere, hic nemo* | *habitat* . ., ubi Ambrosianus *puere, nemo hic habitat* . ., Stich. 1, 2, 22, ubi et Vetus et Ambrosianus *exorando, haud advorsando* . . tradunt, cum *haud* in reliquis libris casu omissum sit.

Atque ut ad tertiam septenarii sedem veniamus, hisce locis verba aspere concurrunt: 1. Asin. 2, 2, 97: *ni* | *hodie Argyrippo* | *essent viginti argenti minae*; qui versus alio vocabulorum ordine componi poterat a poeta, velut quem Pylades proposuit *Argyrippo viginti essent arg.* . . vel Fleckeisenus *Argyrippo argenti* | *essent vig. m.*; verum aptior veriorque compositio quam quae librorum memoria proditur, nulla potest reperiri. 2. Aul. 3, 3, 1: *hoc quidem hercle, quoquo* | *ibo, mecum erit, mecum feram*; Ritschelius (N. exc. 1, 80) *quoquod* formam finxit, Bergkius (Symb. p. 76) suadet ut *quoquom-*

---

[1]) atque accedunt alia: Men. 5, 2, 98; Merc. 3, 1, 41; Most. 4, 3, 43; Curc. 2, 3, 29, in quibus vers. 'amabo' et 'obsecro' integra manent; cf. Speng. Pl. 220.

que scribatur; alii *ego* iniciunt. 3. Bacch. 3, 3, 21: *gymnasi praefecto* | *haud mediocris poenas penderes*; cum Ritschel. transponere *praef. poenas haud m. penderes* necessarium non est; ea enim caesura quae post quartam arsim incidit, non ita raro apud Plautum et Terentium invenitur. 4. Bacch. 3, 3, 24: *ibi cursu, luctando,* | *hasta, disco, pugilatu, pila*; hiatum Spengelius (Plaut. p. 221) tutatus est, Ritschelius (N. exc. 1, 63) *luctandod* forma sustulit; olim hic vir doctus cum Hermanno vocum *hasta disco* ordinem inverterat. 5. Men. 1, 4, 5: *nam parasitus octo* | *hominum munus facile fungitur*; Ritschelius cum Mureto male sic ordinavit: *octo munus hominum*, non melius Guyetus *parasitus hominum munus octo*; Muellerus (Suppl. pros. p. 97) *hominum* ⟨*unus*⟩ *munus* scribendum censet. Bergkius[1]) vero servata codicum omnium memoria de forma *homonum* cogitavit, de qua paucis dicendum est. Ea igitur exemplis Plautinis fulciri nequit. Nam in Persae versu 5, 2, 2 *solus ego omnibus antideo facile, miserrumus hominum ut vivam* in Vetere codice *homonum* a mero librarii errore profectum est, neque locum habet, sive anapaestos sive trochaicos numeros describas. Neque aliter illud *homoinem* (Pseud. 2, 4, 44) manifesto mendo debetur. Petitur autem illa forma ex Prisciano, qui (VI 206 ed. Hertz.) Ennium auctorem adfert his verbis: *vetustissimi tamen etiam homo homonis declinaverunt. Ennius: Volturus in spinis miserum mandebat homonem. Heu quam crudeli condebat membra sepulcro.* (Annal. v. 141 sq.). Atque eundem Ennii locum Festus ante oculos habuisse videtur, cum p. 100 (*hemona humana et homonem hominem dicebant*) eundem accusativum laudat. Et ne Charisius quidem aut Servius aliud exemplum adferunt. His igitur testibus usus cum Bergkio saepenumero Brixius *homonis homonem* al. in exemplaribus scripsit. Ex his cognoscas, si modo Plautinas esse has formas iudicavimus, permultis locis hiatum tali modo eximi. At eam ipsam ob causam dubitatio movenda est: inde enim quod totiens formae restituendae sunt, necessario consequens est, ut more receptae fuerint earumque usus latissime pateat. Id tamen cum Prisciani verbis vix consentit, qui praesertim unum exemplum habeat Ennianum, idque in metro dactylico[2]). Sed redeundum est in viam. 6. Men. 5, 9, 64: *quod nunc est, Menaechmo;* | *illum tum vocabant Sosiclem;* Ritschelius *illunce* in textu posuit, quam formam Muellerus (Suppl. pros. Pl. p. 130 sq.) optimo iure addubitat; is igitur *illum* ⟨*autem*⟩ *tum*, Fleckeisenus ⟨*at*⟩ *illum* inducebant. 7. Mil. 4, 8, 33: *quom abs te abeam. — Fer aequo* | *animo. — Scio ego quid doleat mihi*; Ritschelius (N. exc. 1, 64) *aequod* recipit. Idem vero errare videtur, cum alteram versus partem *scio* . . *mihi* ut ex versu 4, 8, 15 errore iteratam damnat versusque a 33

---

[1]) v. Stud. Plaut. in Philol. 17 a. 1861 p. 54 sq. (Opusc. phil. I Hal. 1884 p. 147 sq.)

[2]) olim Ritschelius prudenter de his obsoletis formis iudicavit; v. Prol. Trin. p. 143 adn. — De 'homonum' al. dubitat Muell. Pros. p. 502 adn. 1; Supp. 80 sq.

ad 35 in duos cogit[1]). Immo saepius hemistichia duo inter se comparia legimus; in eadem Militis gloriosi scaena v. 4 et 28; in actu quinto v. 20 et 28; cf. Merc. 1, 2, 70 et 101; Poen. 4, 2, 56 et 67; 5, 3, 18 et 5, 4, 107 al. 8. Pers. 4, 4, 96: *quoiusmodi is in populo* | *habitust? — Nemo quisquam acceptior*; Ritschelius *dic* post *is* interponit, ita ut *quoius* monosyllabum, non bisyllabum sit. Prorsus certum exemplum non est (9.) Truc. 2, 2, 65: *nunc ád eram revidebo* | *— eccum* | *odium progreditur meum*; quia *etcum* in codicibus est, Camerarius *sed eccum* scripsit; hoc tamen in quartum trochaeum non ita probabiliter infertur secundum ea quae Spengelius (Plaut. 110 sq.) docet: qua re Bothius insuper *sed odium eccum* transposuit. — Porro Ritschelius (N. exc. 1, 81) huc retraxit Men. 4, 2, 99: *nam domum numquam intro* | *ibis, nisi feres pallam simul*; v. supra ad Bacch. 4, 8, 66. Si Rescriptum sequimur, huc referendus est v. Poen. 5, 7, 36: *dum auctionem facio*,' | *opus est aliquot ut maneas dies*; at *hic*, quod ceteri libri post *facio* inserunt, non incommode cum sequenti verbo copulatur. Neque magis firmus est Epid. 2, 2, 94: *ubi erit empta*, *ut aliquo ex urbe amoveas*; *nisi quid tua,* ubi non solum in incisione hiari potest (*aliquod* vel *urbed* Ritsch. N. exc. 1, 76), sed etiam cum Luchsio facillime scribitur *ex urbe* ⟨*eam*⟩ *amoveas.* De accusativo *quid* v. Bergk. Symb. p. 54.

Adiungimus eius hiatus exempla, qui post quintum pedem efficitur: 1. Aul. 4, 10, 51: *noscere. — Filiam ex te tu* | *habes. — Immo* | *eccillam domi,* in quo versu Seyffertus[2]) *immo eccillam* ⟨*meae*⟩ *domi* scribendum coniecit. 2. Men. 1, 3, 6: *tuus est: legito ac iudicato, cum* | *utro* | *hanc noctem sies*; in libris est *tuest legio adiudicato* .., quod optime Vahlenus[3]) correxit; neque enim praesens tempus *est* aut duo verba posita Brixium offendere debebant. Hiatus vitandi causa Ritschelius (N. exc. 1, 64) *utrod*, antea cum Fleckeiseno *utrone* edidit. Cf. supr. ad Most. 3, 1, 30. 3. Men. 5, 5, 60: *quid ego nunc faciam? domum ire cupio:* | *uxor non sinit. Huc autem nemo intromittit* .. Camerarius *at*, Pylades *sed* adiecerunt: quae particulae propter subsequentem *autem* satis molestae sunt. Kochio[4]) priscam aliquam formam *voxor* vindicare lubuit, quam repudiandam esse Ritschelius rectissime censuit (v. praef. Trin. (a. 1871) p. 63). Et ne unum quidem certum testimonium extat; nam Trin. 3, 3, 71

---

[1]) v. 34 et 35 integri non sunt; v. supr. et inf. § 7.

[2]) Philol. 27 a. 1868 p. 439. Idem vir doctus 'immo' suo iure retinet; v. Aul. 4, 10, 35 (negas? — Pernego immo); Bach. 2, 2, 29 sq. (ecquid meminit .. ? — Rogas? immo unice unum .. pendit); Ba. 2, 3, 42 (quin tu audi. — Immo .. haud pernoram); Ba. 2, 3, 106; 4, 4, 47; 4, 8, 51 (sentio .. quae te sollicitet: eum esse cum illa muliere. — Immo est quoque); Epid. 2, 2, 20; 3, 3, 37; 3, 3, 40 (bardum me faciebam. — Immo ita ['stat' cod.] decet); 3, 4, 15; Merc. 4, 4, 19 (non ego sum .. — Quid est? immo hercle tu istic ipsus); Mil. 2, 2, 90; Most. 3, 3, 4 (ecquid placeant .. ? immo hercle vero perplacent); Most. 5, 1, 61 al.

[3]) Mus. Rhen. 16 a. 1861 p. 631.

[4]) Annal. 101 a. 1870 p. 283 sq. et 685.

non minus quam Truc. 2, 6, 34 a librario codicis Veteris illa forma illata erit. 4. Most. 5, 1, 71: *sed eccum tui gnati sodalem video* | *huc incedere*; nihil aliud enim librorum scriptura *huic* valet; Ritschelius igitur *sodalem huc* ⟨*ad vos*⟩ *video incedere*, Lingius[1]) *illic* posuit. Poen. 4, 2, 2: *quoi homini erust consimilis, velut ego habeo* | *hunc huiusmodi*; *hunc* pro *nunc* restituendum certum est. Geppertus genetivum casum *cuius hominis* adiectivo *similis* adnexuit, qua lectione hiatus eximitur; sed dativum haud numquam legi Ussingius ad Amph. 595 statuit. Aliter versum dimetitur Lachmannus (ad Lucr. VI 743 p. 388): *quoi* | *homini* | *erus est* .. — Forsitan accedat Amph. 1, 3, 48: *nunc te, nox, quae me mansisti, mitto* | *ut cedas die*, ubi non cum Camerario *concedas*, quemadmodum in versu 1, 1, 120, sed cum Grutero *uti* scribere licet. — Aut post quintam aut post quartam thesim hiari Curc. 5, 3, 2:.. *dico; id adeo hodie expertus sum* supra commemoravimus. — Neque vero adscribendus erat in hunc numerum Curc. 1, 3, 11:.. *sum deus.* — *Immo* | *haud magni preti*; sic in Vetere a prima manu scribitur, idemque reliqui codices habent; sed ab altera manu in illius margine additur *homo*, quod recipere non dubitabimus, sicut 1, 1, 50; 2, 3, 85; 4, 1, 6 al. Corruptus est Epidici v. 5, 1, 43, de quo alio loco dicemus.

Iam in sexta septenarii sede haec leguntur: 1. Capt. 2, 2, 87: *fac, is homo ut redimatur.* — *Faciam. sed ted oro,* | *Hegio*; 2. Capt. 2, 3, 66: *id ut scias, Iovem supremum testem laudo,* | *Hegio*; Capt. 3, 4, 76: *dum istic itidem vinciatur.* — *Immo enimvero,* | *Hegio*; tertium versum si quis detrahere volet, non repugnabo, quamquam *enimvero* minus bene in altera syllaba acuitur. In secundo autem *laudo* pro *do* Nonius verissime nobis servavit, qui in explanando laudandi verbo hunc Captivorum versum adscribit. Qua re condemnatur Reizii coniectura *testem do* ⟨*tibi*⟩, *Hegio* (cf. Uss. adn.). Neque vero minus falso in primo versu Fleckeisenus *hoc* interposuit. Ac ne Bentleii quidem emendationes *oro, o Hegio* et *laudo, o Hegio* usui Plautino conveniunt. Quae cum ita sint, hiatus non possunt non ferri, atque eo magis ferentur, quod ante appellationem accidunt (cf. Speng. Plaut. p. 219). 3. Merc. 5, 2, 11: *egomet mihi comes, calator, equos, agaso,* | *armiger*; de quo cf. supr. Ba. 3, 3, 24; Ritschelius ⟨*sum*⟩ *armiger* voluit: qua mutatione opus non est, quoniam in proximo versu verbum substantivum ponitur. 4. Merc. 5, 4, 9: (*qui bono sunt genere nati,* ⟨*si*⟩ *sunt ingenio malo,*) *Suapte culpa genere cedunt, genus ingenio* | *inprobaut*; *cedunt* Ussingius pro *capiunt* restituit; verba autem extrema primus sic scripserat Lipsius, idemque Ritschelio (N. exc. 1, 40) placuit. Et profecto *ingenio* pro *ingenium* (h. e. *ingeniō*) positum vix ulla mutatio est. — Si Rescripti auctoritate movemur, in hoc numero habendus est Epid. 5, 2, 14: *dum sine me quaeras, quaeras mea causa medio* | *in mari*; sed *vel medio* .., quod reliqui praebent, aptius est quam quod neglegamus;

---

[1]) De hiatu in vers. Plaut. Vratisl. 1817 p. 65.

cf. Pseud. 1, 3, 89 al.[1]) — Dubii sunt hi versus: Men. 5, 2, 87: *vae capiti tuo. — Ecce, Apollo mihi ex oraclo imperat*; Trin. 5, 2, 61: *miseria ⟨una⟩ uni quidem hominist adfatim. — Immo huic parumst*; Trin. 4, 2, 129: *neque edepol tu is es neque hodie is umquam eris — auro huic quidem*; in Menaechmis Ritschelius (N. exc. 1, 64) *oraclod* probavit; etsi eodem iure pronomen *mihi* vocalem extremam retinet. In Trinummo melius fortasse cum Ritschelio Brixio vocabula *adfatim eris* in ultima acuuntur. — Ad extremum Stichi versum laudo, in quo si cum Ritschelio nomen Pamphilippi expulerimus, post *Epignomo* hiandum est ut versus stet: Stich. 4, 2, 4: *sed videone ego Pamphilum cum fratre Epignomo? | atque is est*; atque Ritschelii coniecturam sequi similius veri mihi videtur quam Goetzii (v. Stich. ed. II praef. p. 15 sq.). Nam cum in versibus 4, 1, 22 et 4, 2, 16 hiatus offensioni non sint, haud amplius duo loci emendandi sunt (4, 1, 2 et 4, 2, 5), quorum alterum etiam Goetzius pro corrupto habuit[2]). Nomen autem Epignomi recte se habet, neque hoc falsum esse numeri persuadent; cf. infr.; Ritsch. Opusc. III 310 sq.

Neque vero solum in senario septenarioque, verum etiam in octonariis et in iambico septenario o vocalis non coniungitur. In hoc metro inveniuntur 1. Asin. 3, 3, 2: *vale.* | — *Aliquanto | amplius valerem, si hic maneres*; sic libri, quibuscum consentit Nonius; alterum hiatum Bothius et Ussingius sustulerunt, qui *aliquantod* et *aliquanto ⟨ego⟩* posuerunt; utrumque Fleckeisenus, cum *pol* ante *aliquanto*, Goetzius Loewius, cum in primo versu *mane sis* adderent. 2. Merc. 3, 1, 41: *etiam cum uxore non cubet? — Amabo, | an maritust?* extrema Ambrosianus servavit, neque aliud in Palatinorum lectione *amaturust* latet. Hiatum autem Spengelius (Plaut. p. 220) tuebatur (cf. paulo supra); Ritschelius *amabo te*, sicut Men. 4, 3, 4; Bacch. 1, 1, 10; Truc. 2, 7, 32 edidit, quamquam his obtestandi verbis *amabo obsecro* accusativus *te* adiungi non solet (v. supr. ad Most. 3, 1, 30). Alii critici alia voluerunt; velut *num maritust* Ussingio, *an ⟨iam⟩ maritust* Muellero placuit. 3. Stich. 5, 7, 5: *satis esse nobis non magis potis est quam fungo | imber*; *hoc* post *magis* in Ritschelii exemplari inditum est. — Prorsus certi non sunt hi versus: Poen. 5, 4, 102: *cur numero | estis mortui, hoc exemplo ut pingeretis?* ubi ex Festi scriptura *qui exeam numero*.. Ussingius eruit *quidnam numero* .. Mil. 3, 3, 17: *obliviosa extemplo | ut fiat, meminisse nequeat*; ubi *uti* vel *extempulo* levi opera scribuntur. Asin. 2, 3, 9: *si istoc exemplo | omnibus* .. v. supra cap. I § 2. Pers. 2, 5, 18: *enim metuo ut possim in bubile reicere, ne vagentur*; ubi aut in tertio aut in altero pede hiatur, aut forma *possiem* sub-

---

[1]) aliter iudicat Goetzius; v. Analect. Plautin. scrips. Schoell. Goetz. Loew. Lips. 1877 p. 96.

[2]) cf. Darnmann Observ. in locos nonnull. Stich. Pl. Progr. Graud. 1871 p. 11 sq.

stituenda est (v. infr. § 7); Ritschelius traiectione *possim reicere in bubile* usus numeros nitidiores effecit. — Omittendi erant duo loci: Curc. 4, 2, 31: *eloquere, quid vis? — Quaeso, ut hanc cures, ⟨ut⟩ bene sit isti*; alterum *ut* deesse non posse olim intellectum est; v. Lachm. ad Lucr. VI 231 p. 362. Epid. 3, 2, 25: *is adornat adveniens domi extemplo ut maritus fias;* in libris *veniens* exhibetur, non recte; nam aut *veniens domum* iungendum aut absolute *adveniens* dicendum erat. Neque quidquam facilius est quam hoc verbum reponere. Nam si duo deinceps vocabula ab eadem praepositione incipiunt, velut *adornat adveniens*, in libris Plautinis non raro ita peccatum est ut secundo loco particula praetermitteretur. Ut in Palatinis traduntur *ad te venio* Epid. 3, 4, 20, *ad me iri* Stich. 2, 1, 21, ubi Rescriptus *advenio* et *adiri* exhibet; contra in hoc codice erratum est cum ceteri verissime sic habeant: *adornas ad fugam viaticum* Epid. 5, 1, 9 et *ad te advenio* Trin. 1, 2, 29, ubi v. Brix.; cum Ambrosiano Vetus liber verum servavit Stich. 1, 3, 83: *adibo ad hominem* (cf. supra); idemque in Poenuli versum 4, 2, 67 cadere videtur (v. cap. I § 1). Iam a viris doctis recte emendantur Epid. 4, 2, 2: *videas, adeas, advenienti des salutem atque osculum* (in libris est *venienti*); Men. 5, 2, 57: . . *ibo ad hominem atque adloquar* (cod. *adquemloquar*); Mil. 4, 9, 9: *te volt, te quaerit teque expectans expetit* (v. Brix. adn. crit.); Poen. 5, 2, 22 al. Cf. Bacch. 3, 6, 6.

In octonario iambico haec repperi exempla: 1. Amph. 5, 1, 25: *tua Bromia ancilla. — Totus timeo, | ita me increpuit Iuppiter*; 2. Amph. 5, 1, 29: (*vae mihi,*) *Amphitruo! | ita mihi animus etiam nunc abest. — Agedum expedi*; huic post vocativum hiatui opitulatur Spengelius (Plaut. 218 sq.). Fleckeisenus eundem versum edidit *ita animus ⟨meus⟩ mihi etiam*, in priore *timeo totus* transposuit; eademque Goetzio Loewio probavit. 3. Bacch. 4, 9, 17: *tum quae hic sunt scriptae litterae, | hoc in equo | insunt milites;* Ritschelius (N. exc. 1, 64) *equod* scripsit verborumque traiectionem *hoc insunt in equo milites* flagitari negat (ib. p. 66). Ussingii vero emendatio *litterae ⟨tot⟩ hoc* vehementer displicet. 4. Bacch. 4, 9, 22: *miles Menelaust, ego Agamemno, | idem Ulixes Lartius;* hiatum post nomen proprium factum Ritschelius ipse (Opusc. II 498) retinet; in editionem *idem ⟨sum⟩ Ulixes* receperat, etsi verbum *sum* ex praecedente *est* facillime mente suppletur. — Nihil demonstrare potest Pseud. 1, 2, 57: *mihi et familiae omni sit meae atque adeo ut: frumento afluam;* sic recte Spengelius (de emend. metr. p. 398), qui tamen post *meae* in caesura hiari mavult. Editores aut *atque* corrigunt aut *ut* delent: immerito; sic enim enuntiata copulantur: *fac . . mihi delatum sit frumentum* (*quod . . satis mihi . . sit*), *atque ut . . afluam* h. e. und zwar dafs ich . . Particula *ut* autem in priore membro omittitur, posteriori additur, quemadmodum Pseud. 4, 2, 90: *num quid aliud? . . — valeas, beneque ut tibi sit;* Amph. 2, 2, 212: *tibi morigera atque ut munifica sim bonis . .;* neque aliter *ab* praepositio

Asin. 1, 3, 11: *solitudine . . atque ab egestate abstuli* aliaque multa. — Emendatus est v. Amph. 5, 1, 23: *ibo et cognoscam, quisquis est.* ⟨*est*⟩ *Amphitruo hic quidem erus meus*; recte *est* hoc loco a Fleckeiseno adicitur.

In octonario trochaico denique Pers. 5, 2, 63: *certo illi homines mihi nescio quid mali consulunt quod faciant* aut *certo* aut *illi* non eliditur, nisi *illisce* scribere mavis (v. Schmidt. de pr. dem. p. 69).

2. De i vocali.

Deinceps ea polysyllaba videamus, quae in longam i vocalem exitum habent. Caesura semiquinaria hos hiatus tueri licet: Amph. 3, 2, 28: *et id huc revorti,* | *ut me purgarem tibi*; Ritschelio, ut *purigarem* ponere posset, alia mutatione opus erat *purigarem me*; v. Opusc. II 432. Aul. 1, 1, 30: *queo conminisci*; | *ita me miseram ad hunc modum*; Bacch. 4, 7, 1: *constringe tu illi,* | *Artamo, actutum manus;* nam *illic* aut nominativus aut locativus est; de dativo *illic* cogitari non potest; cf. Uss. ad Aul. 663 et Men. 815. Curc. 2, 2, 26: *heus Phaedrome, exi,* | *exi*; *exi, inquam,* | *ocius.* Curc. 3, 59, de quo supra cap. II § 1 dictum est. Men. 1, 1, 9: *tum compediti* | *anum lima praeterunt*[1]); Men. 2, 2, 30: *quom nihil est, qui illi* | *homini diminuam caput*; Merc. 1, 1, 88: *talentum argenti* | *ipse sua adnumerat manu*; Merc. 4, 4, 5: *videre, amplecti,* | *ausculari,* | *adloqui*; Most. 3, 1, 100: *id volo mihi dici,* | *id me scire* ⟨*ex te*⟩ *expeto;* ubi *scire ex te* mihi magis placet quam *sciscere*; ii autem improbandi sunt, qui eandem voculam in membrorum initio collocatam tollunt; cf. Brix. ad Capt. 2, 2, 16. Poen. 1, 1, 4: *mihi reddidisti* | *opiparas opera tua*; Poen. 2, 5: *sex inmolavi* | *agnos nec potui tamen;* Poen. 2, 8: *iratus; votui* | *exta prosicarier*; Poen. 5, 5, 48: *si quid lenoni* | *optigit magni mali;* Pseud. 1, 1, 24: *interpretari* | *alium posse neminem*; Pseud. 1, 1, 42: *lacrumans titubanti* | *animo corde et pectore;* Pseud. 1, 5, 28: *ὦ Ζεῦ, quam pauci* | *estis homines commodi! em*; Pseud. 3, 1, 9: *nunc huic lenoni* | *hodie est natalis dies;* Lorenzius (Phil. 35 a. 1876 p. 173) totam hanc scaenam ut a Plauto alienam damnavit; sed qua ratione posterioris aetatis scriptorem eo adductum esse putabimus, ut eam iniceret? Ceterum conferas Menaechmorum scaenam tertiam actus tertii. Pseud. 3, 2, 107: *pater Calidori* | *opere suasit maxumo;* pro *suasit* in libris proditur *fecit*, quod correxit Ussingius. Stich. 3, 2, 46: *eam ego auspicavi* | *in re capitali mea;* sic codices omnes, nisi quod Rescriptus *eam* praetermittit. Trin. 3, 3, 46: *det alteram illi,* | *alteram dicat tibi.* — Eodem pertinent, si modo voc. *apud mea ego sui* deterius pro iambis accipi concedis: Epid. 3, 3, 41: *res magna amici* | *apud forum agitur; ei volo*; Men. 2, 2, 1: *bene obsonavi* | *atque ex mea sententia;* Mil. 2, 1, 64: *in eo conclavi* | *ego perfodi parietem*; Pers. 1, 2, 14: *magis quam sui quaesti,* | *animus induci potest Eum esse civem* | *et fidelem* |

[1]) v. Vahl. Herm. 17 a. 1882 p. 620 sq.

et bonum; cum tres in his duobus versibus hiatus codices exhibeant, Acidalius a transponendo medicinam petivit; Ritschelius in priorem versum *eum* revocavit ex v. 15, et hunc ipsum traiciendo addendo ita formavit: *civem et fidelem esse et bonum ⟨et frugi virum⟩*. Atque haec omnia nullam aliam ob causam instituit, nisi ut hiatus removeret. Neque minus huc referendi mihi videntur Bacch. frg. v. 6; Poen. 3, 5, 46; Poen. 5, 3, 19, in quibus post *qui* et *quom* minus bene hiari sup. cap. I § 2 et 9 diximus. — De compluribus locis certum inveniri nequit: Most. 2, 2, 2: *quom me amisisti a te vix vivom modo,* ubi Ritschelius (N. exc. 1, 49) alii *med* reponunt; Poen. 3, 3, 38: *atque istum e navi exeuntem oneraria*, ubi aut in secunda aut in tertia sede non eliditur, nisi *istunc* inducendum est. Melius in quarta sede hiari Pseud. 1, 5, 118 infra videbimus. In coniectura positum est quod in Trinummo exhibetur: Trin. 4, 4, 16: *nihil est morai.* | *ambula: actutum redi;* nam *morai* pro codicum memoria *moracii* Gepperto Seyfferto debetur, cum Gruterus *morae. i, i* restituendum suspicatus sit. — Alii versus in hoc numero habendi non sunt; quorum tres solus Rescriptus hiulcos adfert: Merc. 3, 2, 1: *tandem inpetravi,* | *egomet me ut corrumperem;* Poen. 5, 2, 4: *eas liberali* | *adseres causa manu;* Stich. 1, 3, 105: *veterem reliqui:* | *eccam quae dicat 'cedo'*; at in primo simplicius planiusque est cum Palatinis *ut egomet me* ponere; in reliquis iidem codices *iam* et *illam* (post *eccam*) servaverunt. Ex Ambrosiano corriguntur, quippe in quo pluralis numerus *illis*, qui necessario requiritur, tradatur, et *est autem* transponatur: Poen. 5, 3, 43: .. *eamus illi* | *obviam* .. et Poen. 5, 5, 27: *quid tibi negoti* | *autem est cum istac?* .. In Milite glorioso solus Decurtatus habet Mil. 2, 6, 15: *meam ludificasti* | *hospitam ante aedis modo?* ceteri omnes recte *ludificavisti* praebent. Alia de causa, quod *ne* interrogativum deest, hiatus eximitur Most. 1, 1, 59: *ervom daturi* | *estis, bubus quod feram?* Denique in supposito Poenuli exitu legitur Poen. 5, 7, 3: *tetigit? nunc perii!* | *unde hae perierunt domo?*

Ut iambici senarii quos modo laudavimus semiquinaria, ita legitima incisione defenduntur hi septenarii trochaici: Amph. 1, 1, 194: *quid apud hasce aedis negoti* | *est tibi? — Immo quid tibist?* Amph. 1, 1, 273: *cadus erat vini; inde inplevi* | *hirneam. — Ingressust viam;* Asin. 2, 2, 54: *si istam firmitudinem animi* | *optines, salvi sumus;* Asin. 3, 1, 14: *et meam partem loquendi* | *et tuam trado tibi;* Asin. 5, 3, 5: *nunc si voltis deprecari* | *huic seni ne vapulet;* Aul. 2, 2, 74: *video hercle ego te me arbitrari,* | *Euclio, hominem idoneum;* Bacch. 3, 6, 15 (v. cap. I § 1); Capt. 2, 3, 78: *scito te hinc minis viginti* | *aestumatum mittier;* Capt. 4, 2, 66: *iuben an non iubes adstitui* | *aulas, patinas elui?* Capt. 4, 2, 81: *vasa tibi pura adparari* | *ad rem divinam cito;* Men. 2, 3, 80: *habeo praedam: tantum incepi* | *operis. i quantum potes;* Men. 5, 2, 28: *nescio quid vos velitati* | *estis inter vos duo;* Men. 5, 5, 15: *non potest haec res ellebori* | *unguine optinerier;* *unguine* Lachmannus restituit; in libris exhibetur *iungere,*

quod in Vetere altera manus in *iunguine* correxit. Men. 5, 5, 30: *perdomisco, si resolvi | argentum quoi debeo;* Mil. 3, 1, 99: *praecantrici, coniectrici, | ariolae atque aruspicae; praecantrici* non modo in Ambrosiano et Vetere codicibus scriptum est, sed etiam Nonius, qui Varrone teste utitur, idem disertis verbis testatur. Brixius autem ex Decurtato et Vaticano formam *praecantatrici* reponendam censet. Contra monendum est simplicia vocabula *cantio cantor* omnino saepius legi quam *cantatio cantator*; atque in Plauti fabulis formas frequentativas non inveni: immo in Trinummo (2, 1, 23) *cantrices* scribitur; itemque *cantio* in tribus Stichi versibus (5, 4, 25. 5, 19. 6, 7) extat, in quorum altero idem Nonius veram formam traditam habet, cum librorum *cantationem* numeris repugnet. Mil. 4, 8, 4: *quid vis? — Quin tu iubes ecferri | omnia quae isti dedi?* Mil. 4, 8, 66: *stulte feci, qui hunc amisi. | ibo hinc intro nunc iam*; Poen. 1, 2, 81: *quid eo opust? — Ego dicam: ut illi | et tibi limem caput;* Pseud. 1, 3, 34: *non potest pietati obsisti | huic, ut res sunt ceterae;* Pseud. 1, 3, 156: *pauci ex multis sunt amici, | homini qui certi sient;* Stich. 1, 2, 41: *viros nostros, quibus tu voluisti | esse nos matres familias*; Stich. 5, 4, 36: *haud tuom istuc est, te vereri. | eripe ex ore tibias*; Trin. 4, 2, 62: *lubet audire. — Illi edepol illi— | illi — vae misero mihi*; attendendum est Muellerum hoc quoque loco *illic* recipere voluisse. Trin. 4, 3, 52: *eo domum. — Heus tu, asta ilico. audi, | heus tu. — Non sto. — Te volo*; de quo cf. Ritsch. adn. Truc. 5, 10: *puero opust cibo, opus est matri | autem quae puerum lavit;* in quo *autem* codices praebent, Kiesslingius[1]) *anui* optime substituit. — Alia pedum dimensione hiatus hos expellas: Amph. 1, 3, 20: *carnufex, non ego te novi? | abin e conspectu meo?* Amph. 1, 3, 34: *nam qua nocte ad me venisti, | eadem abis. — Quor me tenes?* et in his quidem versibus *abin* pro iambo pede et *eadem* pro voce trisyllaba vix quisquam accipiet; Men. 5, 7, 30: *nimis [aut] bene ora commetavi | atque ex mea sententia*; Truc. 5, 72: *lepide ecastor aucupavi | atque ex mea sententia;* Merc. 5, 2, 2: *spem insperatam quom optulisti hanc mihi, tibi grates ago*, ubi aut hiatur aut posterior *tibi* pronominis syllaba producitur. — Porro in tribus septenariis pro certo affirmari non potest, utrum in caesura an in alia sede concursus vocalium fiat: Asin. 3, 1, 29: *nunc adeo nisi mihi huc argenti adfert viginti minas*; Curc. 5, 2, 20: *ego quidem pro istac rem solvi ab tarpezita meo*; Epid. 4, 1, 23: *novin ego te? — Si ego te novi, animum inducam, ut noveris;* in incisione hiari suo iure editores existimant; etsi primo et tertio locis vocula *mihi* et *si* in arsi, secundo *pro* in thesi corripi possunt; cf. cap. I § 3. Non nihil dubius est, quia *illisce* pro *illi* facile scribimus (cf. Schmidt, de pron. dem. p. 69), v. Most. 5, 1, 49: *quia enim id maxume volo, ut illi | istoc confugiant; sine.* — Iam vero nonnulli versus eius modi sunt, ut hoc loco praetermittendi fuerint.

---

[1]) v. Annal. 97 a. 1868 p. 641.

De Mil. glor. v. 3, 1, 43 sup. cap. II § 1 mentionem fecimus; porro Poen. 1, 2, 194: *sequere me soror. — Atque audin etiam? Veneri dicito;* quod Decurtatus Vaticanus exhibent *audi* ab hoc loco alienum est, quippe quo *etiam* non significet *iterum* (sicut Most. 2, 2, 43 et 4, 2, 1); cf. Langen. Symb. p. 160 sq. Truc. 2, 2, 17: *an eo bella es, quia clepis tibi armillas aeneas?* sic ex Ambrosiano adfertur; ex reliquis *quiaccepisti*, unde *quia clepsisti* Bothio placuerat.

His septenariis in incisione hiulcis octonarii trochaici addendi sunt tres: Bacch. 4, 3, 3: *incredibilis inposque animi, | inamabilis, inlepidus vivo*; Bacch. 4, 4, 1: *hunc hominem decet auro expendi*; | *huic decet statuam statui ex auro*; Merc. 2, 3, 7: *miser amicam mihi paravi | animi causa, pretio eripui*; de versu medio cf. Speng. de emend. metr. p. 175 sq.

Atque de hiatu in caesura facto hactenus; nunc venio ad personae mutationem. In his igitur senariis post i vocalem hiatur: Epid. 3, 3, 17: *sed tu hanc iube sis intro abduci. | — Heus, foras*, in quo *iube sis* pro *lubens* iam Gruterus restituit; de hiatu cf. Ritsch. N. exc. 1, 81. Merc. 4, 3, 10: *disperii. | — Equidem hercle oppido perii miser*; Pers. 1, 3, 27: *ita fieri iussi. | — Ecquid hallecist? — Vah, rogas?* Pers. 4, 7, 16: *inimicum ulcisci. | — Ecce me: numquid moror?* Poen. 3, 5, 38: *vae vostrae aetati! | — Id quidem ⟨in⟩ mundo est tuae*; Trin. 2, 4, 31: *tempust adeundi. | — Estne hic Philto qui advenit?* — Eodem modo legi possit Truc. 2, 4, 9: *promisi. | — Ubi cenabis? — Ubi tu iusseris*, ubi Ritschelius (Opusc. III 141) bis formam *cubi* reponere voluit, de quo quid sentiremus supra exposuimus; sed alterum *ubi* pro iambo, alterum pro pyrrhichio positum ipso versu commendatur[1]. — Dubitationem movent Aul. 3, 6, 2, in quo ante extremum creticum hiari posse supra c. II § 1 vidimus; Poen. 5, 2, 115: *ostende, inspiciam: | aperi. | — Audio: atque adest*; sic enim Spengelius (Plaut. 195) versum edidit, qui in libris est *ostende inspici iam aperi audiatque ades*; utut emendatur, hoc certum est nullo modo versum deesse posse. — Duo versus his exemplis adnumerandi non sunt, quorum alter in spurio exitu legitur: Poen. 5, 7, 7 v. sup. cap. I § 4; alterum Palatini libri praebent Truc. 2, 4, 18: *benene ambulasti? | — Huc quidem hercle ad te bene*; in Rescripto autem *benene ambulatumst* traditur, quod comprobare non dubitabimus.

Subiciam septenarios trochaicos: Amph. 2, 2, 144: *pro cerrita circumferri? | — Edepol qui facto est opus*; Amph. 2, 2, 170: *lavisti. — Quid, postquam lavi? | — Adcubuisti. — Euge, optume*; Men. 2, 3, 33: *nimis miror, quid hoc sit negoti. | — Oboluit marsuppium*; Merc. 5, 2, 75: *quid manebo? — Tempus non est intro eundi. | — Enicas*; Mil. 3, 1, 199: *scietis postea. ecqua ancillast illi? | — Est prime cata*; particula *at*, quam Ambrosianus versui praemittit, delenda mihi videtur; ea enim facile ex personae nota oriri potuit eodem

---

[1]) sic Buechelerus teste Schoellio (Truc. prf. 34 adn. 4).

modo quo paulo supra (v. 195) AUT ex #UT ortum est. In ultimo autem versu cum Scaligero Brixius *adprime* posuit pro eo quod in codicibus *primi* scribitur; immerito, opinor; nam *prime* in versu bacchiaco Truc. 2, 5, 4 *ego prime de me domo docta dico* Plautum dixisse cum Seyfferto (Stud. Pl. p. 29) credo; dixit vero teste Charisio Naevius.[1]) Mil. 4, 8, 37: *quid istuc est negoti?* | — *Animus hanc modo hic reliquerat*; Pseud. 4, 7, 78: *ex Sicyone huc pervenisti?* | — *Altero ad meridiem*; ita ipse Ritschelius in exemplari legi iubet; v. Men. praef. p. 16. Truc. 4, 3, 23: *quid tu? quor eum accepisti?* | — *Era me rogitavit minor*; sic Bothius spatium, quod post *eram ero* libri Decurtatus Vaticanus habent, optime explevit; cf. supr. ad Trin. 4, 2, 104. — Hiatum effugias, si vocabula *ibidem enimvero egomet habe* in secuuda syllaba acuere velis: Men. 2, 3, 28 (v. cap. I § 4); Men. 5, 9, 16: *te hodie mecum exire ex navi?* | — *Enimvero aequom postulas*; Most, 2, 1, 22: *tun vidisti?* | — *Egomet, inquam.* — *Certe?* — ⟨*Certe,*⟩ *inquam.* — *Occidi*; Most. 2, 1, 40: *perii.* | — *Habe bonum animum; ego istum lepide medicabor metum*; Pseud. 2, 2, 30: *immo adest.* — *Tune adtulisti?* | — *Egomet.* — *Quid dubitas dare?* — Scrupulus non potest non residere de quattuor versibus: Asin. 5, 2, 60: *invocasti.* | — *Ecquis currit pollinctorem arcessere?* in quo Camerarius nullo negotio *invocavisti* scripsit; Merc. 1, 2, 93: *perii.* — *Em, istuc unum verbum dixisti verissumum,* ubi haec nobis proposita est condicio, ut aut *périi.* | *ém* aut *périi. em* | *istuc* pronuntiemus; Pers. 5, 2, 51: *nam ego nihil merui.* | — *At enim, quod ille meruit, tibi id obsit volo*; cum hiatu Ritschelius legit; fieri tamen potest, ut *nam* non coniungatur; Truc. 5, 28: *condidi intro quod dedisti.* | — *Ades, amica, te adloquor*; *ades* Muellero placuit. Schoellius vero cum Buechelero, quia *adest* in libris proditur, *adesto* restituit: id quod fieri potest, non debet; vide quae ipse Schoellius (praef. p. 34 sq.) contra Ritschelium disserit.

Quae in octonariis versibus leguntur, nituntur coniecturis. In iambico enim octonario habes Most. 3, 2, 53: *velim ut fabellas, Tranio.* ⟨*sed quid*⟩ *est negoti?* | — *Eloquar*; in trochaico Amph. 2, 1, 27: *nusquam equidem bibi.* — *Quid hoc fit homini?* | — *Equidem deciens dixi*; sic bene Ussingius; in codicibus exhibetur *quid hoc sit hominis.* Epid. 1, 1, 72: *benevolens sum benevolenti.* | — *Abi in malam rem maxumam a me,* ubi *sum benevolenti* Goetzius emendavit, quod librorum memoria *cum benevolente* depravata est.

Quoniam de eo hiatu dixi, qui in caesura legitima et in finita oratione post i litteram accidit, nunc ea exempla adferam, quae hanc excusationem non habent. In secunda igitur senarii sede repperi: 1. Curc. 3, 80: (*si forent) Conclusi* | *itidem ut pulli gallinacei*; 2. Epid. 3, 4, 41: (*quin tu fidicinam*) *Produci* | *intus iubes?* — *Haec ergo est fidicina*; in priore versu Ritschelius priscam formam *conclusis* re-

---

[1]) cf. testim. ad Truc. 454 edit. Schoell.

posuit; v. N. exc. 1, 114; Opusc. II 646 sq. et 767. Atque haec nominativi forma iusto iure scribi potest, cum praesertim in libris Plautinis bis servata esse videatur (Men. 2, 1, 33 ubi v. Vahl. adn. et Mil. 1, 1, 44 (sed v. Gepp. Stud. II p. 12); de Mil. 2, 4, 21 infra dicendum erit). At tamen Goetzius cum Fleckeiseno *illi* interponere maluit. Neque vero in Epidici versu ulla antiqua forma praesto est; neque de dimensione *intús iubés* cogitari potest, quippe qua fieret ut incisione versus egeret. Qua re transponendo aut *intus iubes produci* aut *intus produci iubes* effecerunt critici. Certum est huc accedere, quamquam in libris *terrae* traditum habemus 3. Bacch. 4, 7, 22: *terrai* | *odium* | *ambulat*; *iam nihil sapit*; nam in hoc vocabulo hiatus non solum propterea ferendus est, quod vocalis longae vocali subiecta commisceri non potest (v. Lachm. ad Lucr. III 374 p. 158 sq.); sed etiam quod obsoletas formas in versibus adhibere nisi eodem modo quo in usu esse desierunt poetis non licet: neque enim ab iis qui audiebant intellectae essent; cf. Trin. 4, 4, 16. De *terrais* autem dicere non opus (Ritsch. N. exc. 1, 116). — Verum hiatus testimonium non est Pseud. 1, 5, 10: *proficisci,* | *ibi nunc oppido obsaepta est via*, in quo *ibi* pro iambo esse potest; aliter Speng. Plaut. 222; — aut Stichi v. 1, 3, 84: *Epignomi ancilla haec quidem est*, *Crocotium*, ubi melius in incisione vocales non coeunt. — Detrahendus denique est Militis gloriosi versus, quem Palatini sic praebent: Mil. 2, 2, 65: (*quid nunc* . .?) *Vidisti* | *ambas?* . . sed Ambrosiano codice, cui *vidistin* debetur, hiatus tollitur.

Porro post quartam thesim his locis concursus vocalium efficitur: 1. Asin. 4, 1, 59: *ancillam ferre Veneri* | *aut Cupidini*; nomen proprium excusant Hermannus (Elem. doctr. metr. p. 190) Spengelius (Plaut. p. 215); Reisigius *vel* pro *aut* substituit nulla probabilitate. 2. Bacch. 2, 3, 52: *is lembus nostrae navi* | *insidias dabat*; cum Pylade Ritschelius male convertit *is nostrae navi lembus* . . 3. Curc. 3, 66: *argentum des lenoni;* | *huic des virginem*; Spengelius (Pl. 222) moram hoc loco factam excusat; Muellerus ⟨*is*⟩ *huic det* scribendum coniecit, cui opinioni minime adsentimur; nam et operam et pecuniam in emenda virgine praebet argentarius; v. 3, 63; 4, 2, 37 al. 4. Merc. 4, 1, 10: *qui* | *hanc vicini nostri* | *aram* | *augeam*, de quo sup. cap. I § 2 dictum est. (5.) Merc. 4, 3, 13: *quid nunc ego faciam, nisi uti* | *adeam atque adloquar*; in quo *uti* Ambrosianus, ceteri *ut* exhibent. Haud inepte Guyetus *eam* post *nisi ut* interponit, ne obiectum absit. 6. Pseud. 1, 5, 9: *quo in commeatum volui* | *argentarium Proficisci, ibi nunc* . . *obsaepta est via*; hiatus vitandi causa *volueram* Ritschelius non ita commode edidit. Veri simile est eodem huc spectare v. Capt. 1, 2, 72: *propterea te vocari* | *ad cenam volo*; sic enim in codice Britannico traditur, idemque in Vetere correctum est teste Sonnenscheino, ubi antea fuerat *ad te ad nam.* Contra Fleckeisenus Brixius *ad me ad cenam* genuinam lectionem fuisse suspicantur. — In eodemque numero esse videntur Merc. 1, 1, 105: *quid verbis opus est? emi* | *atque advexi heri*; Poen.

5, 2, 96: *quid ais? qui potuit fieri,* | *ut Carthagini*; Pseud. 1, 5, 118: *virtute regi Agathocli* | *antecesseris*; quamquam in primo versu, cum Vetus *mi*, Decurtatus *mihi* praebeant, haud prave ⟨*emi*⟩ *mihi* reponitur. In altero hiatus nullus esset, si *fieri* pedem creticum efficeret: id quod in fine versuum saepe accidit, in mediis locum non habet; cf. supr. c. I § 4 c. adn. Quam ob causam, nisi cum Gepperto *uti* scripseris, hiatum non evitabis. In tertio vero Ritschelius (Opusc. II p. 488 sq.) *Agathocoli* Plauto vindicabat. Et haec forma per se fingi poterat; sed cum in Mostellariae et Menaechmorum versibus necessario *Agathocles* requiratur, hoc uno loco illa prorsus improbanda est. — Dubii sunt tres loci: Merc. 4, 1, 11: *da sane hanc virgam lauri.* | *abi tu* | *intro.* — *Eo*; Epid. 3, 4, 57: *euge, euge, Epidice, frugi* | — *ita pugnasti* — *homo es, Qui* . . Trin. 2, 4, 155: *me tibi dixisse hoc.* — *Dixti* | *arcano satis*; illum Mercatoris versum secundum codices solus Ussingius in exemplari posuit, qui tamen *abi* producta syllaba posteriore legi vult; alii viri docti *en* vel *em* vel *do* addiderunt, ne tacita imperatum faceret serva. Reliquis locis formae *pugnavisti dixisti* restituere lenissima mutatio est, quia librariorum errore tam *dixisti* pro breviore voce quam *dixti* pro *dixisti* scribi potuit. Quamquam in Trinummo Ritschelius ille quidem breviorem, quae in Rescripto exhibeatur, retinuit, cum praesertim etiam in v. 2, 4, 166 et 3, 2, 29 eandem formam solus Ambrosianus recte servaverit. In Epidico vero de scriptura ambigitur; nam *frugi* — *ita pugnasti* — *homo es* ponendum Ussingius coniecit; in libris est *frugi es pugnasti homo es,* in Vetere ita ut prius *es* ex *st* correctum sit. Itaque alii voluerunt *frugi es*; *pugnasti* σοφῶς. — Melius in quinta quam in quarta sede hiatum statuimus Men. 3, 2, 30; v. cap. II § 1; Curc. 2, 2, 26: *heus Phaedrome, exi,* | *exi; exi, inquam,* | *ocius*; in quo versu *inquam* non elidemus, ne eadem vox *exi* ter deinceps eundem sonum habeat. Camerarius vero, cum in caesura quoque versus hiet, quartum *exi* post *heus* inserebat. — Omittendi erant in enumerando Poen. 5, 7, 13: *iam pridem equidem istas scivi* | *esse liberas,* qui versus Plauti non est; Pseud. 1, 5, 7: . . *sensi* | *et subolet mihi,* ubi Ambrosiano duce *subolebat* Ritschelius reposuit, idemque oratione flagitatur; Trin. 1, 2, 66: *haec quom audio in te dici,* | *excrucior miser*; cum libri *dicis* praebeant, Vahlenus (Herm. 12 p. 195) proxime ad eorum memoriam accessit, cum scribendum esse coniceret *dici, is.* Vix dignus qui memoretur est Poenuli v. 5, 2, 124, in quo codices vitiose habent *etsi* | *hic habit,* Pylades restituit *habitabit.*

Adiungimus ea exempla, quae in quinto iambo repperimus. His autem hiatibus Spengelium quodam modo patrocinari supra diximus, cum de o vocali verba faceremus. 1. Amph. 3, 1, 12: *si id Alcumenae* | *innocenti* | *expetat; innocentiae* cum Lachmanno (ad Lucr. III 374 p. 161) scribere nihil habet negotii, etsi in alia Plauti fabula non legitur. De genetivo *Alcumenas,* quem Ritschelius Opusc. III 133 praeterea vindicabat, infra disseram. 2. Capt. 3, 5, 24: *dum*

ne ob malefacta peream, parvi | *aestumo*; idem ante *aestumo* hiatus in senario Plautino (Fest. epit. p. 143): *rogata fuerit necne, flocci* | *aestumo* invenitur. Atque in his cottidianis verbis hiatum expellere scribendo *existumo* probabile non est. 3. Men. 3, 2, 11: *prandi, potavi, scortum accubui*, | *abstuli*; et hic versus ita comparatus est, ut nulla mutatione non corrumpatur; ac ne Ritschelius quidem tollere hiatum ausus est, quamquam retineri non potuit, quin in exemplari post *accubui* acrius distingueret; cf. supr. Bacch. 3, 2, 24. 4. Men 3, 3, 10: *numquam hercle factum est. — Non meministi*, | *obsecro?* cf. Speng. Plaut. p. 220. Ritschelius *te* ante *obsecro* inserit, id quod Plauti moris non est; v. supr. ad Most. 3, 1, 30. 5. Merc. 4, 4, 5: *videre, amplecti*, | *ausculari*, | *adloqui*; de quo Spengelius Plaut. p. 221 disceptat. 6. Merc. 4, 4, 57: *ibo ad forum atque haec Demiphoni* | *eloquar*; Pylades *Demiphoni haec* transposuit eique Ritschelius accessit. 7. Most. 1, 1, 38: *dique omnes perdant! oboluisti* | *allium*; Goetzius Loewius (Asin. praef. p. 26) ex versu 37 *fu* ante *oboluisti* transtulerunt, idque *fufae* scribi voluerunt. Nec tamen sine magno orationis detrimento hoc fieri rectissime monet Ussingius (cf. Speng. de emend. metr. p. 80 adn.). 8. Pers. 4, 6, 15: *atque edepol tu me commonuisti* | *haud male*; *tute* vel *id tu* vel *ne tu* Ritschelius noluit recipere, cum etiam in Ambrosiano *atque edepol tu me* appareret; immo post *me* iniecit *nunc*, quod tamen neque probabiliter neque apte interponitur. 9. Poen. 1, 3, 34: *nam isti quidem hercle orationi* | *Oedipo Opust coniectore* .. verbum *est* in versu 35 Ussingius delet, Bothius Geppertus post *orationi* collocant; sed *opust* non minus quam *opus* pro pyrrhichbio est. 10. Poen. 5, 2, 65: *sub cratim ut iubeas se supponi* | *atque eo*; Pylades alii *sese* posuerunt: id quod fieri vix potest, quoniam in subsequenti versu scriptum videmus *ut sese neces*. Et ne *uti* quidem numerorum causa placet. — Duobus locis in incisione legitima, non ante extremum creticum eodem iure hiatur. In altero monosyllabum *tu* corripi posse supra cap. I § 4 exposuimus, Pseud. 1, 5, 75; neque vero Ritschelii *cubi* stare posse nobis persuadetur. Alter versus est Curc. 3, 45: *quia vestimenta, ubi obdormivi ebrius*, in quo *obdormivi* non commisceri Spengelius putat. Quod ni fit, et ante et post *ubi* hiatur: de qua re alio loco disputabimus. — Scrupulum iniciunt hi tres versus: Aul. 2, 8, 24: (*Apollo, quaeso, subveni mihi*..) *Qui in re tali aliis subvenisti* | *antidhac*; sic duce Kochio restitui potest, quod in libris traditur *cui* (h. e. *qui*, v. supr.) *in re talia subvenit antidhac*; sed valde dubia res est; Men 5, 1, 40: (*aurum meum*) *Domo suppilas tuae* | *uxori* | *et tuae Degeris amicae* .. ita cod.; sed oratione quam maxime commendatur, quod Vahlenus (Herm. 17 p. 622) scribendum proponit *tuae uxori* ⟨*aufers*⟩ *et tuae* ..; Pseud. 3, 2, 67: *ut nostra properes amoliri* | *omnia*; sic enim ex libris Palatinis adfertur; Ritschelius cum in Rescripto quinque litterarum spatium invenisset, *hinc* interposuit.

Iam in septenarii trochaici sede prima i vocalis excipitur

vocali: 1. Truc. 2, 6, 57: *perii* | *hercle miser* .. cuius sup. c. I § 7 mentionem fecimus. In Amphitruone eorundem vocalium concursus fieret, nisi cum Ritschelio (Opusc. II 430 sq.) *expurigationem* scribendum esset Amph. 3, 3, 10: *habui* | *expurgationem; facta pax est.* — *Optume est.* In Poenulo denique unus Ambrosianus exhibet Poen. 4, 2, 50: *noli* | *edepol devellisse* ..; Palatini codices *nolito* servarunt, quod in textum recipiemus.

Post secundi trochaei thesim hiatus efficitur: 1. Amph. 2, 2, 153: *tu peperisti* | *Amphitruonem, ego alium peperi Sosiam*; voc. *alium* viri docti alii alibi inserebant. Si cum Fleckeiseno post *tu* ponitur, eadem in duobus membris verborum compositio non nimis placet, etsi eius generis exempla non nusquam leguntur. Neque vero magis Ussingium probabimus, cum post *peperisti* collocare mavult: nam tres dactyli rarissime continuantur (cf. Ritsch. Prol. Trin. p. 273). Quam ob rem si necesse est *alium* addatur, nihil relinquitur, nisi ut post *Amphitruonem* interponatur, id quod non inepte Guyetus olim proposuit. 2. Mil. 4, 8, 20: *o mei oculi,* | *o mi* | *anime.* | — *Obsecro, tene mulierem;* Ritschelius N. exc. 1, 114 formam *oculis* reposuit, quemadmodum Curc. 3, 80; alteros post *mi* et *anime* hiatus neque in hoc libello neque in editione sollicitavit. 3. Poen. 4, 2, 66: *nisi ero meo uni* | *indicasso atque ei quoque, ut ne enuntiet*; Muellerus suadet ut vocum *meo uni* ordo immutetur. — His exemplis adnumerari possunt Amph. 1, 3, 25: *clanculum abii* | *a legione;* | *operam hanc subripui tibi,* ubi tamen cretica vox *clanculum* haud minus recte vocalem ultimam retinet; v. Sent. contr. I. De removendo autem hiatu inter viros doctos magna dissensio est. Pers. 2, 2, 60: (*edictum est magnopere mihi, ne quoiquam* | *homini crederem*) *Omnes muti* | *ut loquerentur prius hoc quam* | *ego.* — *At tu hoc face*; nihil facilius est quam *uti* scribere; neque vero de *tu* correpto cogitare licet, ne eundem sonum verba habeant quem in v. 58: ⟨*edictumst mihi*⟩ *Ne hoc quoiquam homini edicerem, omnes muti ut loquerentur prius.* Poen. 3, 2, 37: *iam nunc ego illi* | *egredienti* ..; aut ante aut post *illi* hiatur; Geppertus *illi ego* transponere maluit. Truc. 4, 1, 3: *divi magni!* | *ut ego laetus sum et laetitia differor!* in quo vix post verbum *sum* in caesura vocales concurrunt; cf. cap. I § 10. Schoellius vero (v. praef. p. 30) particulam *nunc* huc transtulit ex antecedenti enuntiato, quod sic fere traditur: *neque gnatust neque progignet urneque potest reperirier, Quoi* | *ego nunc* ⟨*aut*⟩ *dictum aut factum melius quam Veneri velim.* Prior igitur versus nihil aliud valet nisi *nemo est omnium* vel, ut poetae verbis utar, *nemo natus est neque reperiri potest*; ita enim nascendi verbum dicere solebant. Quod autem Diniarchus ambigua voce ludens subicit *neque progignetur,* duo ponit, et praesens et futurum tempus, sed unum sentit; nam mens adulescentis tota in praesenti tempore versatur. Quod si est, *nunc* sane quam sententiae accommodatum est. Sed videant doctiores. — Dubitationem movent: Pers. 2, 2, 40: *offirmasti* | *occultare* .. Stich. 4, 1, 70: *quin vocasti* | *hominem ad cenam?* .. ibi

enim *ne* interrogativum non potest non praetermitti (cf. v. 39); hic non tam *vocavisti* quam ⟨*ad te*⟩ *ad cenam* restituitur ex Plauti consuetudine; cf. versus 6 et 7 eiusdem scaenae al. — Dicere nolo de Truc. 2, 2, 47, ubi ne Palatini quidem hiant; nam eorum *nunc* interpretor *ñ (non) hunc*.

Atque haec in secunda septenarii sede inveniuntur; in tertia 1. Amph. 3, 3, 9: *an id ioco dixisti?* | *equidem serio ac vero ratus*; Camerarius *tu*, Ussingius *ego* iniciebant; in Goetzii Loewii exemplari scriptum videmus *equidem* ⟨*hercle*⟩*serio*..: ut alia taceam. 2. Bacch. 4, 4, 36: *istoc dicto dedisti* | *hodie* | *in cruciatum Chrysalum*; ne versus bis hiaret, Ritschelius *dedidisti*, Ussingius ⟨*tu*⟩ *dedisti*, Muellerus *istoc* ⟨*de*⟩ *dicto* voluerunt. Ita tamen fit, ut ante legitimam caesuram dactylus ponatur; hoc autem, si traditum est, feremus, contra librorum memoriam inducere probabile non est. Rectius igitur, si emendatione opus est, cum Hermanno transponitur *hodie dedisti*. 3. Pers. 4, 4, 2: *urbis speciem vidi*, | *hominum mores perspexi parum;* cum Guyeto Ritschelius *mores hominum* edidit. Et placent nomina ex diverso collocata, quamquam traditus verborum ordo per se iusta mutandi causa non est; v. Most. 1, 3, 147; Asin. 3, 3, 41 al.

Porro in quinto pede haec extant exempla: 1. Amph. 1, 1, 274: *eam ego, ut matre fuerat natum, vini* | *eduxi meri*; Muellerus et huic et proximo versui *ibi* vel *illi* intexuit. Fleckeisenus *vini* post *ego* male revocavit; deinde ne in eadem sede *natum* vocali exciperetur, iterum verborum *fuerat natum* ordinem invertit. 2. Men. 5, 5, 58: *salvus salvos alios video, novi* | *homines, adloquor;* Ritschelius *novi* ⟨*ego*⟩ *homines*, Brixius *homones* posuit, quod supra refellimus. 3. Men. 5, 9, 96: *venibunt servi, supellex, fundi,* | *aedes, omnia*; Brixius *et* interposito orationem depravavit. Ritschelius in editione transposuerat *aedes*, *fundi*, ut post *fundi* gravis distinctio esset, quemadmodum in versu 3, 2, 11; postea (Opusc. II 650 adn.) cum Buechelero[1]) sensit, qui *fundis* restituit. 4. Poen. 4, 2, 40: *quid agis?* — *Facio, quod manufesti moechi* | *haud ferme solent;* sic Ambrosianus; idemque ceterorum scripturae *manufesto imo echi* vel *manufesto himechi* valent[2]). Atque adverbium *hic*, quod Bothius inseruit, ab hac sententia abhorret. — Alia versuum dimensione hiatum exemeris, ut Stich. 4, 1, 9 omittam, Amph. 1, 1, 110: .. *cepi* | *huius in me et statum,* ubi *med* Ritschelius (N. exc. 1, 35) posuit; v. cap. I § 1. — Non tam in caesura hiatur quam *abduxisti* scribendum est (cf. Luchs. in Studem. Stud. I, 1 p. 50): Curc. 5, 2, 16: *me reposcis?* — *Quam ab lenone abduxti hodie, scelus viri.* Neque aliter de hoc numero eximendi sunt Most. 3, 3, 9, ubi propter similitudinem versus 11 *si* non poterit non addi; et Men. 5, 9, 39: *Moschum tibi patrem fuisse dixti:* | *huic itidem fuit*; sic enim liber

---

[1]) de decl. Lat. p. 18.

[2]) error ab ipso librario corrigitur, sicut in Vetere 'homoinem'.

Vaticanus exhibet; sed cum *dixit* ex Decurtato et ex Vetere adferatur, et ex hoc ita ut ab altera manu in *dixsti* correctum sit, ne dubitari quidem potest, quin *dixisti* verum sit.

Atque ut ad sextam septenarii sedem veniamus, vocalium concursus accidit his locis: 1. Amph. 1, 1, 107: *attat, illic huc iturust. ibo ego illi | obviam;* de dativo *illic* vide supr. ad Ba. 4, 7, 1. 2. Bacch. 4, 4, 75: *quid parasti?* — *Quae parari tu iussisti | omnia*; Ritschelius *tute* recepit, quod tamen prorsus conveniens esse non videtur; idem *parare tu ⟨me⟩ iuss.* scribi posse adnotat. 3. Men. 5, 9, 29: *nam ego hominem homini similiorem numquam vidi | alterum;* pronomen *ego*, quod in initio delevit, post *vidi* transtulit cum Bothio Ritschelius. (4.) Stich. 5, 4, 51: *tecum ubi autemst, mecum | itidemst: neuter neutri | invidet;* artificiosius quam verius est quod Ritschelius edidit *neutri neuter*; hoc tamen certum pro eo quod in codicibus legitur *utri* restituendum esse *neutri*, non *alteri*; cf. *uterque utriquest cordi* (Ter. Phorm. 5, 3, 17) al. 5. Trin. 4, 3, 11: *memoriam esse oblitum? an vero, quia cum frugi | hominibus*; in priore editione Ritschelius, ut solitus erat, *tu* orationi admiscuerat; in altera Bergkii illud *homonibus* sumpsit. In eodem numero habuerim Truc. 4, 4, 32: *verum est verbum, quod memoratur: ubi | amici, | ibidem opes*, etsi *ibidem* in syllaba media acuere licet. *Ubi* autem sequenti vocali corripi posse infra ostendemus; neque in hoc proverbio hiatum removendum, aut verbum substantivum addendum nobis persuadetur. — In alia atque in sexta thesi hiari potest: Epid. 2, 2, 59: *quam facile et quam fortunate evenit illi, | obsecro*, ubi Ussingius in incisione vocales non coniungit; Capt. 3, 1, 21: *neque me rident. 'ubi cenamus?' inquam, atque illi | abnuont;* Curc. 2, 3, 55: *quod tibist, item sibi esse, magnam argenti | inopiam;* Truc. 2, 7, 65: *iam | ego ted hic offatim conficiam, occidi | optumum est;* et in his tribus versibus post sextum vel post quintum trochaeum non eliditur (de primo cf. Schmidt. de pron. dem. p. 69). — Prorsus certa exempla non sunt: Most. 3, 2, 124: *te has emisse. non tu vides hunc voltu ut tristi | est senex?* ubi coniunctivus *sit* cum Fleckeiseno facili opera restituitur. De indicativo cf. Becker, de syntaxi interrog. obliq. in Studem. Stud. I 1 p. 273 sq. et 286 sq.; de interrogationis forma v. Vahl. Herm. 17 p. 598 sq. Epid. 3, 1, 5: *nullam tibi esse in illo copiam. | — Interii | hercle ego;* si cum Goetzio in fine *oppido* adiecimus, non modo hiatus eximuntur, sed etiam legitima caesura numerique nitidiores versui redduntur. — Detrahendus autem est v. Bacch. 3, 3, 3: *perdidit . . filium uni | unicum*, in quo *unice* Bothius emendavit idemque editores merito acceperunt.

Sed de trochaicis septenariis hactenus; in iambicis leguntur: 1. Merc. 3, 1, 32: *ego te redemi; | ille mecum oravit. — Animus rediit;* 2. Mil. 4, 6, 37: *per amorem si quid fecero, clementi | animo ignoscet;* in hoc altero versu Ritschelius (N. exc. 1, 65) vocabulo *clementi* d litteram adiungit; idem vir doctus in priore *r.* ⟨*illi*⟩; *ille . .*

scribere animum induxit. — Aut *illi* aut *nam* integrum manere Truc. 1, 2, 97 supra cap. I § 7 diximus. — Ambigitur de Militis gloriosi versu, quem Ambrosianus liber habet Mil. 2, 4, 21: *non mihi possunt minis tuis hisce oculis exfodiri*; et hanc versus formam unice veram esse Ritschelius putat (Opusc. II 650 sq.; N. exc. 1, 114). Ipse cum Muellero Ussingio potius senserim, qui Palatinos secuti scribunt: .. *minaciis tuis hisce oculi exfodiri*; nam *minis* pro *minaciis* facilius inferri potuit quam *minaciis* pro *minis; oculis* autem ex .nominativo *hisce* natum esse in aperto est; cf. Muell. Pros. p. 215 adn.

Iam in octonario trochaico habes Truc. 2, 7, 28: *grata accepta ecastor habeo. iube* | *auferri* | *intro, Cyame*; *mi* vel *ad me* critici post *intro* adiciebant, in codicibus est *intro ichiame.* Alterum post *iube* hiatum Spengelius *ea* pronomine addito sustulit; Schoellii conatus proximo versu redarguitur.

In octonario iambico i vocalem in thesi non coniungi pro certo dici non potest; nam duo exempla eius generis sunt, ut in incisione post *ego* et *vincite* eodem iure hietur: Epid. 4, 1, 8: *me nominat haec. credo ego, illi hospitio usus meo venit;* Pseud. 1, 2, 18: *nempe ita animati estis* [*vos*]: *vincite hoc duritia tergi atque me.*

In dimetro iambico traditur: 1. Men. 4, 2, 33: *diem corrupi* | *optimum,* quae verba Ritschelius iniuria damnavit; *ita* particulam inseri posse Vahlenus adnotat.

3. De a vocali.

Adnectimus eos hiatus, cum ultima prioris vocis syllaba in longam a vocalem excidit. Incisionis semiquinariae excusationem habent hi loci: Amph. 1, 2, 36; v. cap. I § 10; Asin. 1, 1, 5: *siquid med erga* | *hodie falsum dixeris*; Aul. 1, 1, 5: *nam me qua causa* | *extrusisti ex aedibus? nunc* quod Vaticanus praebet, delendum videtur quomodo 1, 2, 7; 3, 2, 21 (cf. Ritsch. N. exc. 1, 129). Bacch. 2, 3, 15: *quid hoc, qua causa* | *eum* | *in Ephesum miseram?* de altero post *eum* hiatu v. Speng. Plaut. pag. 204 sq. Mil. 4, 7, 3: *me amoris causa* | *hoc ornatu incedere*; Most. 4, 3, 45: *sume. — Eademque opera* | *haec tibi narravero*; Poen. 5, 2, 153: *specie venusta,* | *ore atque oculis pernigris*; Stich. 5, 1, 3, de quo versu sup. cap. I § 2 verba fecimus. Truc. 3, 1, 10: *ovis in crumina* | *hac in urbem detuli.* — Alia pedum dimensione tres hiatus expellas: Merc. 3, 2, 12: *nunc tamen interea* | *ad me huc invisam domum*; Mil. 1, 1, 52: *quid in Cappadocia,* | *ubi tu quingentos simul*; Most. 2, 2, 53: *ego dicam*; *ausculta.* | *ut foris cenaverat*; in hunc versum etiam Ritschelius Lorenzius *uti* recipere noluerunt; secundum vulgo dimetiuntur *quid in Cappádocia* . .; in primo Goetzius *med* scripsit; cf. Ritsch. N. exc. 1, 80 adn. 1. — Tres versus in hoc numero reponendi non erant: Most. 4, 3, 18: *minas triginta* | *accepisti, quod sciam,* ubi *triginta* codices praebent, sed *quadraginta* necessario restituendum olim intellectum est; Pers. 1, 3, 85: *abi et istuc cura.* | *interibi ego*

puerum volo Mittere ad amicam meam, ut habeat animum bonum; cum hiatus et vox dactylica et numeri offenderent, Ritschelius libere transposuit . . *ego ad amicam meam Volo puerum mittere ut* . . Ipse mutatione opus esse nego; immo sic legendum: . . *intéribi egó puerum volo.* Vocabulum autem dactylicum in syllaba media acui minime inusitatum est, quamquam plerumque in primo senarii pede fieri solet; v. *hocine* Amph. 3, 1, 16; *dicere* Pseud. 1, 2, 38; *nomine* Pseud. 1, 2, 52; saepius *illius* (Curc. 5, 3, 38; Merc. 1, 1, 48) al. In Palatinis falso traditur: Epid. 3, 4, 54: *nam pro fidicina* | *haec subposita* | *est tibi*; Ambrosianus autem alterum quoque hiatum, cui excusatio nulla est, removet, cum *cerva* post *haec* interponit.

In trochaici septenarii caesura a littera non eliditur: Amph. 1, 1, 245, de quo supra cap. I § 10 dictum est; Bacch. 3, 3, 58: *verum ingenium plus triginta* | *annis maius quam alterist*; Capt. 2, 2, 81: *eum si reddis mihi, praeterea* | *unum nummum ne duis*: Men. 5, 2, 45: *postulas viros? dare una* | *opera pensum postules*; Mil. 4, 1, 12: *quid? hic unde est?* — *A luculenta* | *atque festiva femina*, in quo *ac* Klotzius voluit, *atque* ⟨*a*⟩ Acidalius. Mil. 4, 8, 13: *et quia tecum eram, propterea* | *animo eram ferocior*, de quo Ritsch. N. exc. 1, 83 disserit. Pers. 4, 4, 113: *tuo periclo sexaginta* | *haec datur argenti minis*; cum Bentleio *dabitur* ponere minime opus est. — Si quis vocularum *ubi eri* syllabam posteriorem producere velit, hos hiatus tollat: Bacch. 3, 3, 27: *inde de hippodromo et palaestra* | *ubi revenisses domum*; Mil. 2, 2, 108: *participaverit de amica* | *eri, sese vidisse eam*; sic enim recte in Rescripto exhibetur; cf. Ritsch. Stich. praef. p. 17 adn.; ceteri *erili se vidisse* (in Vetere est *esiusevidisset*) habere videntur. — In coniectura positum est quod Ussingius edidit Capt. 2, 2, 16: *nunc senex est in tonstrina;* | *hic iam cultros adtinet*; nam *nunc*, non *hic* ex libris adfertur; minus probabiliter Brixius *nunc erus cultros* scribendum esse coniecit. — Si libros Plautinos sequeremur, adscribendus esset Truc. 5, 64: *pecua ad hanc ego in crumina* | *obligata defero*; sed optime Priscianus memoriae prodidit . . *hanc collo in crumina ego obligata* . .; atque huic lectioni eo maior fides tribuenda est, quod quo modo in Palatinis erratum sit facile cognoscitur.

Accedit octonarius trochaicus Pers. 5, 1, 2: *bello extincto, re bene gesta,* | *integro exercitu et praesidiis*; nam pro trochaico, non pro anapaesto versus accipiendus est.

Eius hiatus qui personae mutatione facile expurgatur, bina exempla in senario et in septenariis extant. In senario iambico: Bacch. 1, 2, 6: *cum tanta pompa?* | — *Huc.* — *Quid 'huc'? quis istic habet?* Poen. 5, 2, 81: *popularitatis causa.* | — *Habeo gratiam*; in trochaico septenario: Poen. 5, 7, 33: *dabo, quae placeat.* — *Cura.* | — *Aurum cras ad te referam tuom*; Stich. 2, 2, 57: *sambucas advexit secum forma eximia.* | — *Eugepae*; in septenario iambico: Asin. 3, 2, 40, quem v. supra cap. I § 5 explicavimus; Pers. 2, 5, 27: *sed sequere me: ad eam rem usus est tua mi opera.* | — *Utere*

ut vis; hunc versum cum hiatu legere Ritschelius maluit quam Bothium secutus *mihi opera* pronuntiare.

Neque vero solum in oratione finita aut in incisione, verum etiam aliis versuum locis a extremum vocali excipitur. Atque ut primo loco senarios componam: 1. Truc. 2, 4, 91: *praeterea | obsonari dumtaxat mina* formam *praeteread* Ritschelius (Opusc. III 127) substituit; quod autem Bergkius *una* inserebat, *una . . mina* non magis Latinum est quam *una uncia* (Men. 3, 3, 3 v. supr.). — Incerti esse possumus de versu Bacch. 2, 3, 78: *quin in ipsa | aede* ⟨*deae*⟩ *Dianae conditum est*; nam cum versus mutilus sit, Hermannus *deae* addere voluit: quae coniectura valde probabilis nobis videtur; Ussingius tamen *Ephesiae* intercidisse putat. — — Atque haec quae modo commemoravimus in altero pede; in quarto hiatus facillime evitari potest Bacch. 4, 1, 5: *tu dudum*, *puere*, *cum illa* | *usque isti simul*; nam *illac* cum Bothio vel *ivisti* asciscere nemo dubitabit. — — In quinta thesi certum hiatus exemplum invenitur: 1. Men. 4, 1, 5: *pallam ad phrygionem cum corona* | *ebrius*; cf. Speng. Plaut. p. 235; Ritschelius, qui ediderat *corona* ⟨*hic*⟩ *ebrius*, postea (N. exc. 1, 64) *coronad* formam praetulit. — Quae praeterea leguntur, vera testimonia non sunt; nam in duobus versibus Curc. 2, 2, 28: *video currentem*, *ellum usque in platea ultuma*; Stich. 1, 3, 114: *sat ut facete atque ex*[1]) *pictura astitit*? Ritschelius ille quidem (N. exc. 1, 63 et 64) venustis numeris *platead* et *picturad* scribi iussit; sed in caesura hiatum statui posse concedendum est. Primo vero obtutu cuivis patet vitiosum esse v. Bacch. 1, 2, 32: *quom* | *haec intus sit et cum amica* | *adcubet*, quem Vahlenus Herm. 15 p. 259 sanavit cum *epheb* (*ephebus*) pro *haec* reponeret; Ritschelius (N. exc. 1, 69) sic scripserat: *quom hic intus* ⟨*erus*⟩ *sit et cum amicad accubet*.

Iam in septenarii trochaici sede secunda haec duo habes: 1. Amph. 1, 1, 160: *alia forma* | *esse oportet quem tu, pugne, tetigeris*; 2. Men. 3, 1, 1: *plus triginta* | *annis natus sum*, *quom* | *interea loci*; in priore versu vulgo cum Camerario transponitur *forma oportet esse*; neque vero hoc Ritschelius (N. exc. 1, 62) assensu suo comprobavit. De Men. versu supr. cap. I § 9 dictum est; addendum in eodem vocabulo, quamquam in caesura, hiatum inveniri Bacch. 3, 3, 58: *plus triginta* | *annis maiust*. Inde cernitur ordinem verborum iniuria a criticis tentari. — — Post quintum trochaeum hiatus efficitur 1. Men. 5, 5, 5: *quem* | *ego* | *hominem*, *si quidem vivo*, *vita* | *evolvam sua*; 2. Men. 5, 9, 89: *quoniam haec evenerunt*, *frater*, *nostra* | *ex sententia*; ablativo *vita* Ritschelius (N. exc. 1, 64) d litteram adiecit; alterum versum emendaverat . . *evenerunt nobis*, *frater ex* . ., quod cur praestet non perspicio; immo adiectivum, non dativum pronominis, apud Plautum legere solemus; cf. *ex mea sententia*. Accedere etiam hoc potest: Curc. 2, 3, 61: *dico me illo advenisse*

[1]) 'atqut' Loewius in Ambrosiano legit; cf. Anal. Plaut. p. 176.

animi causa. | *ibi me interrogat,* ubi hiatum Spengelius (Plaut. p. 218) defendit; Ritschelius *causad* posuit N. exc. 1, 63, nec tamen negat (Opusc. III 126) *med* legere licere. — A Camerario recte emendatur Bacch. 3, 6. 6: . . *adibo contra et ⟨con⟩ tollam gradum*; nam *contollere gradum* h. e. *congredi* hoc loco requiritur, sicut Aul. 5, 6. Similiter Pseud. 2, 4, 17: *confer gradum contra*; Merc. 5, 2, 41. De genere errandi cf. supr. cap. II § 1 ext. ad Epid. 3, 2, 25. In Palatinis libris hiatus exhibetur Stich. 1, 2, 97: *sed tamen volo intervisi. propera,* | *actutum redi*; sed *atque*, quod Rescriptus interpositum habet, ante *actutum* facile excidit. — — Post sextam thesim vocalium concursus fit his locis: (1.) Asin. 1, 3, 49: *si aes habent, dant mercem*; *eadem nos disciplina* | *utimur*; hoc uno loco *discipulina* restituere[1]) non nihil dubito, praesertim cum ea forma Most. 1, 2, 74 mero errori videatur deberi. 2. Men. 5, 9, 56: *quot eras annos gnatus, quom te pater a patria* | *avehit?* Ritschelius Nov. exc. 1, 64 nihil mutavit, nisi quod *patriad* posuit; antea Fleckeisenum secutus . . *gnatus ⟨tum⟩ quom pater a patria te avehit* ediderat, cum ipse coniecisset *quom ted a patria avexit pater.* 3. Poen. 4, 2, 13: *tenebrae, latebrae, bibitur, estur, quasi in popina,* | *haud secus*; in quo *haud secus* ad *quasi* relatum adiungitur quemadmodum apud Livium (Com. 2 R.) *corruit quasi ictus scena ⟨taurus⟩ haud multo secus*[2]); atque comparandum est quod in Mostellaria 1, 2, 15 legitur: *hoc . . proinde uti nunc ego esse autumo, . . haud aliter id dicetis.* Muellerus *secius* coniectura assecutus est, quod tamen minime fulcitur Captivorum versu 2, 3, 57; ibi enim *nihilo secius obsequiosus . . fuisti* separari non possunt. Eodem modo Ritschelius accepit Asin. 2, 2, 112, cum *interead hic tene* poneret N. exc. 1, 83; v. sup. cap. II § 1. — In Vetere deterioribusque libris ante extremum creticum non eliditur Epid. 5, 1, 16: *haec est. estne ut tibi dixi — adspecta et contempla,* | *Epidice —*; sed cum Ambros. *ista* post *estne* exhibeat, cum Muellero scribendum *estne ita ut* . .

Subiciam septenarios iambicos: Pseud. 1, 2, 27: *num qui minus ea gratia tamen omnium opera* | *utor?* ubi Ritschelius (N. exc. 1, 64) d adiunxit. Asin. 2, 4, 26: *mea causa* | *ut mittas. — Eho ecquis pro vectura olivi Rem solvit?* . . in quo *uti* cum Bentleio in textum recipi potest. Quod autem editores pro *ecquis* certum nomen (velut *Coriscus*) positum fuisse existimant, haec sententia caduca fit, si interpretamur emptorem illum ad pecuniam dandam aliquem misisse; atque in proximis dicitur *quoi datum est,* non *quoi dedit.* — — Porro octonarium trochaicum Pseud. 1, 3, 8: *in rem quod sit praevortaris quam in re advorsa* | *animo auscultes,* si modo trochaicus est, id quod cum Ussingio puto; ceteri editores anapaestos numeros agnoscunt. — In iambico octonario a ultimum ante vocalem collocatum non repperi; nam quod in Sticho cum Palatinis

---

[1]) v. Fleckeisen. Misc. crit. p. 34.
[2]) de quo v. Vahl. Ind. lect. hib. Ber. 1883 et 84 p. 10 sq.

vulgabatur Stich. 2, 1, 10: *quae misera* | *exspectationest* . ., Ambrosiano libro expellitur, in quo Loewius *misera in exspectationest* legit.

4. De e vocali.

Proximum est ut de extrema e littera disseram. Ea igitur in incisione vocali excipitur: Aul. 3, 6, 33: *potare ego hodie,* | *Euclio, tecum volo*; Men. 3, 2, 43: (*surrupuistin* . .) *Pallam istanc hodie* | *atque dedisti Erotio?* ubi tamen *atque* ⟨*eam*⟩ vel potius *eamque* oratione commendatur. Poen. 5, 3, 8: *o mi* | *ere, salve,* | *Hanno, insperatissume*; Stich. 3, 2, 6; v. supra cap. II § 1. Trin. 1, 2, 10: *o amice, salve,* | *atque aequalis: ut vales, Megaronides?* — *Et tu edepol salve, Callicles*; hos duos versus Ritschelius cum Lomano ad unum reduxit: *o amice, salve. Et tu edepol salve, Callicles.* Id tamen minime certum est. Nam neque liquet quo modo illud interpretamentum ortum sit; et Megaronides primum resalutat amicum (v. 11); deinde eum v. 12 ipsum interrogare coepisse. non ad rogatum *ut vales?* respondere, hoc sermoni familiari haud ita contrarium videtur esse. — Ambigi possit de Truc. 1, 1, 67: *venturus peregre;* | *eo nunc conmenta est dolum*, etsi vix quisquam *eo* bisyllabum esse credet. Aut in tertio aut in quinto pede non eliditur Stich. 1, 3, 114; v. supr. c. II § 3.

In septenarii caesura haec certa hiatus exempla extant: Amph. 2, 1, 75: *non soleo ego somniculose* | *eri* | *imperia persequi*; cf. Ritsch. N. exc. 1, 88 sq.; de *eri* cum hiatu correpto alio loco disputabitur. Bacch. 4, 4, 36; v. supr. c. II § 2. Epid. 5, 2, 51: *vinctus adsto, quoius huic hodie* | *opera inventast filia*; voc. *quoius* monosyllabum est, ne in quarta sede dactylus ponatur. Men. 4, 2, 104: *nam ex hac familia me plane* | *excidisse intellego*; Merc. 5, 2, 61: *si tu vera dicis, pulcre* | *aedificatas arbitro;* sic verissime Ussingius. Pers. 4, 4, 25: *i in malum cruciatum.* — *I sane,* | *hanc eme atque ausculta mihi*; Truc. 5, 71: *meum quidem te lectum certe* | *occupare non sinam.* — His adnumerari posse versum Epid. 2, 2, 59 supra c. II § 2 docuimus. Immerito addubitatur, quod scribitur Asin. 5, 2, 86: *ecastor cenabis hodie, ut dignum est, magnum malum*; immo nihil mutandum est; nam *dignum est* apud Plautum et Terentium saepius idem significat quod *aequom, fas est*: v. Ter. Phorm. 2, 3, 55 et 91; Plaut. Mil. gl. 3, 1, 129; Pers. 3, 1, 43; Brix. ad Trin. 448. Id tantum in medio relinquendum, utrum *hodie* an *dignum* non coniungatur.

Et eodem modo cum hiatu legendus erit octonarius trochaicus Amph. 2, 1, 30: *satin hoc plane, satin diserte,* | *ere, nunc videor tibi locutus* [*esse*]? nam *esse*, quod in fine versus codices praebent, delendum potius quam post *diserte* inserendum videtur.

Atque haec quidem in caesuris inveniuntur; pauca sunt quibus personae mutatio praesidio est: Merc. 2, 2, 12: *tantumst.* — *Lysimache, salve.* | — *Euge, Demipho;* Poen. 1, 3, 20: *ut non ego te hodie* . . | — *Abi modo.* — *Emittam manu;* Poen. 5, 2, 116: *mi patrue, salve.* | — *Et tu salve, Agorastocles;* in his Poenuli versibus

incisio legitima et finita oratio congruunt; idemque accidit in duobus septenariis: Most. 4, 2, 36: *senex hic elleborosust certe.* | — *Erras pervorse, pater*; Pers. 4, 3, 77: *sat edepol concinnast facie.* | — *Ut contemptim carnufex*, nisi forte priorem cum Muellero mavis legere . . *elleborósus ést certe* . . Praeterea post tertium trochaeum persona mutatur Mil. 4, 8, 5: *Philocomasium, salve.* | — *Et tu salve.* — *Materque et soror.* Eiusdem Militis gloriosi versum 4, 8, 27 adferre nolo, quippe qui lacunosus sit. Optime autem a Camerario emendatur Most. 2, 1, 22: *tun vidisti?* | — *Egomet, inquam.* — *Certe?* — ⟨*Certe,*⟩ *inquam.* — *Occidi.*

Sed qui hanc excusationem non habent loci hi sunt: Pseud. 4, 6, 9: *si ille hodie illa sit potitus muliere;* quo in versu aut *si* aut *hodie* vocalem retinet (cf. supr. c. I § 2). Ritschelius, cui utrumque displicuit, in exemplari in hunc modum expressit locum: *si ille illac hodie sit* . .; in Novis excursibus (p. 89 sq.) hiatus causa d litteram adverbio illi adscribere non dubitavit, quoniam *hodie* nihil aliud esset nisi *hoc die.* Quin cum ne *hodied* quidem omnibus locis satisfaceret, *hocedie* atque *hocedied* novare ausus est. At haec argumentatio per se ipsa refutatur ac diluitur. Idem enim ille vir doctus (l. l. p. 92 adn. et p. 94) disertis verbis negat pro *hodie* cum Bothio *hoc die* poni posse, quia prima huius particulae notio illis temporibus non iam perspecta fuerit. Quod cum ita sit, quo tandem modo fieri posse putandum est, ut tali adverbio tamquam ablativo illud d adiungatur, aut forma *hocedie* Plauto vindicetur? Haec vero formatio vel ideo eicienda est, quod ablativus *hoce* in Plauti usum omnino non venit; v. Mueller. Suppl. pros. p. 130 sq.; Studem. Annal. 113 a. 1876 p. 58.

Iam in quarto senarii pede littera e in hiatu extat 1. Poen. 5, 3, 18: *tua pietas nobis plane* | *auxilio fuit*; Acidalius transponit *plane nobis.* Atque hic vocum ordo infra 5, 4, 107 traditur: *mi pater, tua pietas plane nobis auxilio fuit*, quem versum Ussingius non recte ut ex illo superiore iteratum delet (cf. supr. § 1 ad Mil. 4, 8, 33). Ritschelius ipse quoque (N. exc. 1, 88) aut *nobis planed* aut *plane nobis* utroque loco restituendum censet. Sed cur ordo verborum adaequandus sit, non video. — Porro bis in solo Rescripto hiatur: Most. 3, 1, 128: *nullum edepol genus est hodie* | *hominum taetrius;* Poen. 3, 3, 58: *rex sum, si ego illum* | *hodie* | *hominem adlexero;* in priore versu Ritschelius editoresque Palatinos codices probant, qui exhibent: *edepol hodie genus est hom.* Posteriorem idem criticus (N. exc. 1, 95) propterea ex Ambrosiano adtulit, quod de forma *hocedied* cogitare licuit. Postea tamen (v. Goetz. Loew.) missam fecit hanc opinionem; et ne veri similis quidem ea est; immo non minus quam in Most. cum reliquis libris scribendum . . *hodie ad me hominem* . ., cum praesertim ADME post HODIE facile interciderit. — Alios versus non adscriberem, nisi Ritschelius formam *hodied* ceteris anteponeret (N. exc. 1, 90 sq.); sunt Most. 4,

3, 39: *deludificatust me hodie indignis modis*[1]); Pers. 3, 2, 2: *qui mihi iuratust se hodie argentum dare*; valde mirum Ritschelium eam dimensionem prorsus neglexisse quae mihi potissimum probatur, eam dico qua pronomina *me se* in arsi cum hiatu corripiuntur.

Ante ultimum creticum vel in quarta sede vocales non commiscentur Mil. 1, 1, 4: *praestringat oculorum aciem in acie hostibus*; si *aciem* non eliditur, alium eiusdem vocis sonum habemus, id quod necessarium esse Ritschelius[2]) decrevit. Sed vide quae Brixius (adnot. crit. ad Mil. 4) exposuit; cf. Epid. 1, 1, 72 alia.

Venimus ad septenarios trochaicos, in quorum primo pede hiatum praebent codices: Asin. 1, 3, 53: (*aliam nunc mihi orationem despoliato praedicas,*) *Longe* | *aliam,* | *inquam. praebes nunc atque olim, quom dabam*; sed non tam inter vocabula *aliam inquam* dativus *mi* quam post *inquam* nomen substantivum *linguam* praetermissum esse potest, quo addito hiatus nulli sunt; vide quae Vahlenus noster Herm. 17 p. 276 sq. de hoc loco disseruit. — In Sticho vero 4, 1, 26 ne dubitandum quidem est, quin Ambrosiani scriptura quae est *hodie* repudiata cum Palatinis recipiendum sit: *hodiene exoneremus.*

Porro in altera sede haec ponuntur: 1. Capt. 5, 4, 9: *rediit. — Salve,* | *exoptate gnate mi. — Hem; quid 'gnate mi'?* 2. Trin. 4, 2, 132: *nimis argute* | *obrepsisti in eapse occasiuncula;* in Captivis Geppertus *salveto,* quae forma raro a Plauto dicitur[3]), Fleckeisenus *salve* ⟨*o*⟩ ediderunt; Spengelius hiatus ante vocativum facti patronus extitit (Plaut. p. 219). In Trinummo Ritschelius *me* interponebat; sed hoc pronomen quam non desideretur, discimus ex Pseudoli v. 2, 3, 20, quem Brixius (in adn. crit.) adtulit. — Vix commemorandus est Truc. 4, 2, 26, in quo verbum *iussi* non potest deesse.

Post tertium trochaeum habes 1. Pers. 1, 1, 34: *haec dies summa hodie* | *est, mea amica sitne libera, An . . serviat*; vehementer displicet Ritschelii emendatio *mea* ⟨*mi*⟩ *amica*; sententiae Spengelius satisfecit, qui (de emend. metr. p. 386) haec posuit *hodie meaest amicae, sitne . .*

In quinto pede 1. Trin. 3, 2, 100: *cassidem in caput — dormibo placide* | *in tabernaculo;* Buechelerus (de decl. p. 48) *placided* voluit, idemque Ritschelius in alteram editionem assumpsit (cf. N. exc. 1, 88); in priorem receperat *placidule*, tamquam si in voce tabernaculi deminutiva vis etiam tum valuisset. In incerto relin-

---

[1]) Merito hunc Mostellariae versum retinuit Ritschelius; neque in sequentibus (v. 40 sq.) quidquam mutandum est: 'quid tu | ais? — Haec res sic est, ut narro tibi: Deludificatust me hodie in perpetuom modum. Nunc' . . Nam uterque versus, et 39 et 41, maxime accommodatus est, quamvis sint inter se consimiles. Atque saepius in una eademque fabula similes vel compares versus inveniuntur. Cf. supr. § 1; vide Ussing. ad Asin. 185 et ad Pseud. 588; adde Aul. 2, 4, 24 et 26; Bacch. 3, 4, 14 sq. et 22 sq. (de quibus v. Weis. l. l. p. 49); Capt. 5, 2, 6 et 15 (v. Vahl. Herm. 17 p. 602 sq.); Men. 5, 2, 27 et 59; 5, 4, 7 et 9; Trin. 2, 4, 2 et 18; 4, 2, 84 et 91 sq.

[2]) Nov. exc. 1, 70 sq.; cf. Prol. Trin. p. 206 cum adn.

[3]) cf. Loch. de imper. ap. Pl. usu p. 10 sq.

quendi sunt: Men. 5, 9, 66: *mi germane gemine frater, salve:* | *ego sum Sosicles;* Pseud. 2, 2, 20: *nam haec mihi incus est; procudam ego hodie* | *hinc multos dolos;* nam in illo versu *ego* pronominis syllabam posteriorem producere licitum est; in hoc Ritschelius ille quidem (N. exc. 1, 90) *hodied* scripsit, sed haud minus recte Ussingius in incisione hiari iussit.

In sexta denique septenarii thesi e vocalis integra manet, si pro *advenies* editio princeps vere substituit *advenit* Most. 5, 1, 29; at cum Buggio Ussingius haud male *opportune advenerit* reposuit.

Pauca sunt exempla quae in iambico septenario et in octonario trochaico extant. In septimo enim iambo *hodie* ante vocalem collocatur: 1. Most. 1, 3, 18: *ergo hoc ob verbum te, Scapha, donabo ego hodie* | *aliqui;* sic Ritschelius versum laudat (N. exc. 1, 90), nisi quod *hodied* formam probavit. — In eiusdem scaenae versu 15, si libris fidem habemus, *lepide* non coniungitur Most. 1, 3, 15: *ut lepide* | *omnis res tenet sententiasque amantum;* sede vide ne cum Bergkio *mores* pro *res* reponendum sit. — In octonario autem haud dubie cum hiatu scriptum fuit (1.) Pers. 5, 2, 62: *graphice* | *hunc volo ludificari.* — *Meo ego* | *in loco* [*sedulo*] *curabo*, ubi codices post aliquot litterarum lacunam *hice* et *hic ē* praebent. Ne hiatus sit, Ritschelius *hunc* ⟨*nunc*⟩ *volo* vel *hunc volo* ⟨*ego*⟩ *ludificari* restituendum esse existimavit. Quod vero idem vir doctus (N. exc. 1, 90) Curculionis v. 1, 2, 54 in eundem numerum rettulit, cum Studemundo editores anapaestos numeros recte videntur describere.

5. De u vocali.

Denique in u vocalem extrema prioris vocis syllaba cadit Bacch. 2, 3, 70, de quo cf. supr. cap. I § 9; Men. 1, 1, 15: *suo arbitratu* | *ad fatim cottidie*; in septenarii caesura: Amph. 2, 1, 84: *non ego cum vino simitu* | *ebibi imperium tuom;* forma *simitur*, quam Ritschelius (Opusc. II 258; III 236) bis in Plautum inducere voluit, hoc Amphitruonis loco minime requiritur; Mostellariae autem v. 3, 2, 105 (*ego hic esse et illi simitu haud potui*) non tetrameter bacchiacus est, sed ex dimetro bacchiaco et tripodia iambica catalectica compositus, sicut versus 96 et 103; Men. 5, 2, 10. 11. 21 aliique [1]). Pers. 4, 4, 17: *evortes tuo arbitratu* | *homines fundis, familias;* Trin. 4, 2, 148: *vapulabis meo arbitratu* | *et novorum aedilium.* — Atque haec in incisione; accedunt quae in personae mutatione hiatum exhibent exempla duo, senarius et septenarius: Bacch. 2. 3. 59: *turbare in portu.* | — *Edepol mortalis malos;* Bacch. 4, 4, 56: *ego dabo.* — *Tum nobis opus est sumptu.* | — *Ah, placide volo.*

Praeterea in quinta et in sexta septenarii sedibus vocabula *ritu* et *noctu* excipiuntur vocalibus: 1. Men. 2, 3, 44: *certe haec mulier canterino ritu* | *astans somniat.* Ritschelius olim . . *canterino astans ritu somniat* vel . . *haec canterino ritu mulier astans* . . transponendo

---

[1]) Spengelii ratiocinationem (de em. metr. p. 277 sq.) probari non posse puto.

effecerat. Haec tamen ipse irrita esse iussit, cum in Novis excursibus (1, 64) *ritud* scriberet. Neque aliter idem vir doctus (N. exc. 1, 85) cum Bothio *noctud* reponi voluit: 2. Asin. 5, 2, 23: *ille opere foris faciundo lassus noctu* | *advenit*[1]), ubi Fleckeisenus *ad me* interponebat.

6. De oi et ae diphthongis.

Progrediamur igitur, quoniam eius hiatus qui post longas vocales in thesi accidit exempla memoravimus. Sequitur autem ut de diphthongis extremis dicamus. In oi igitur exitum habet — idque in caesura collocatum est — *aliquoi*: Men. 4, 2, 59: *certe familiarium aliquoi* | *irata es.* — *Nugas agis.*

Saepius altera diphthongus ae in fine verborum invenitur. Et hic quoque exemplorum pars ab incisione veniam habet legitimam; sunt hi senarii: Amph. 3, 1, 12; v. supra cap. II § 2; Asin. 4, 1, 14: *fores occlusae* | *omnibus sint nisi tibi*; Poen. 1, 1, 9: *gerrae germanae*, | *αἱ δὲ κολλῦραι λυραί.* His adici possunt et melius adiciuntur: Curc. 3, 28 (v. cap. I § 7); Men. 2, 2, 4: *prius iam convivae* | *ambulant ante ostium*, quamquam hunc versum legere licet *priùs iam cónvivae ámbulant*.. Eodemque pertineret Amph. 1, 2, 24, nisi pro certo habendum esset versus inde a 14 (vel 17) ad 33 ab ipso Plauto profectos non esse[2]). — Subiciam septenarios trochaicos: Curc. 4, 4, 11: *priusquam te huic meae machaerae obicio, mastigia?* Most. 3, 3, 28: *dicam, ut hic res sint quietae* | *atque ut hunc hinc amoverim*; quibus adnumerandi videntur: Merc. 3, 4, 34: *non tibi istuc magis dividiae* | *est, quam mihi hodie fuit*, nisi *mihi* in altera syllaba acuere mavis; v. infr. Sent. controv. I; Stich. 1, 2, 33: *salve, mi pater.* — *Et vos ambae.* | *ilico agite* [*istic*] *adsidite*; recte enim meo iudicio Fleckeisenus Palatinos libros secutus *istic* omisit: quod qui retinere volet, melius convertet cum Muellero quam cum Ritschelio *ambae* delebit. Ac ne in Milite glorioso quidem Ambrosianum probabimus, in quo traditur Mil. 2, 2, 56: .. *poetae* | *esse audivi*..; nam cum ceteri codices *inaudivi* exhibeant, scribendum erit *indaudivi* nullo hiatu (v. Brix. adn.; Lor. ad. Most. (ed. II) 542). — In caesura simul persona mutatur: Most. 2, 1, 51: *morigerae tibi erimus ambae.* | — *Ita ille faxit Iuppiter*, quem versum etiam Ritschelius cum hiatu legit; et Poen. 4, 2, 51, de quo v. sup. cap. I § 2.

Sed alii hiatus incisione legitima defendi non possunt. In senarii iambici sede altera legimus: 1. Mil. 4, 9, 12: *parátae* | *insidiae sunt*; *in statu stat senex*; fere transponi solet non cum Ritschelio, qui duos iambos in exitu posuit, *stat in statu senex*, sed cum Fleckeiseno *senex stat in statu* (cf. Luchs. in Studem. Stud. I 1 p. 45). Ussingius *saltu* pro *statu* substituere maluit; at tamen quod contra

---

[1]) de initio versus v. Koehler de verb. acc. cum num. rat. in tr. sept. consoc. Hal. 1877 p. 53.

[2]) v. Uss. comm. Amph. p. 279; Langen. Symb. p. 42.

dicit notionem status non insidianti convenire sed ei qui aggredientis impetum exspectet, id in hunc ipsum locum cum maxime quadrat. 2. Truc. 2, 4, 81: (*non amantis mulieris,*) *Sed sociae* | *unanimantis, fidentis fuit*; antea *sociennae* vel *socienni* scribebant. Schoellius autem, quem sociae vocabulum offendit, sic edidit: *sed unanimantis, solide fidentis* . . At verborum compositio docet summam sententiae vim in attributis *amantis* et *unanimantis fidentis* positam esse nominibusque idem fere declarari. — In quarto iambo hiatum retinet Ussingius 1. Aul. 2, 9, 9: *fugiam intro, ne quid turbae* | *hic itidem fuat*; pluralem numerum *turbarum* Brixius posuit, etsi singularis Nonii, non solum codicum testimonio confirmatur. — Iam in quinta thesi collocantur: 1. Bacch. 2, 3, 73: *qui illic sacerdos est Dianae* | *Ephesiae*; 2. Trin. 2, 4, 138: *nam fulguritae sunt alternae* | *arbores*; in priore post *Dianae* hiatu Ritschelius olim (Prol. Trin. p. 204 sq.) id excusaverat, quod in nomine proprio accideret; (cf. Lachm. ad Lucr. VI 743 p. 387); postea (N. exc. 1, 114 sq.) genetivum *Dianas* vindicabat[1]). Et hanc antiquam genetivi formam, ut *matres familias* (Stich. 1, 2, 41) omittam, is qui Amphitruonis argumentum condidit, in versu 1 dixit; eandem in Plauti usu fuisse neque ex grammaticorum testimoniis neque ex fabulis Plautinis efficitur; nam *Molas* (Pseud. 4, 6, 38) accusativum esse Buechelerus[2]) mihi persuasit. Iam Trinummi versum in priore editione ita emendaverat Ritschelius, ut *ibi* post *sunt* insereret; in Novis excursibus nominativum in as cadentem introduxit: cuius formae in tota Latinitate ne unum quidem exemplum invenitur[3]).

In septenario autem ae diphthongus bis in hiatu extat; in quinto pede 1. Mil. 4, 5, 12: *saltem id volup est, quom ex virtute formae* | *evenit tibi Mea opera super hac vicina* . .; Ussingius *fortuna* in *formae* locum substituit, id quod prorsus reprehendendum est. Neque enim in verbo *evenit* subiectum requiritur, neque *fortuna evenit alicui* pro *res evenit* Latine dicitur. Ritschelius vero hoc quoque loco genetivum *formas* reponere non noluit (v. Opusc. III 133). Alter locus est 2. Amph. 1, 1, 119: *nec iugulae neque vesperugo neque vergiliae* | *occidunt*; ita enim non in Plautinis modo codicibus sed etiam a Varrone et a Festo scribitur. Atque hiatum post Hermannum ea re tueri solent, quod *vergiliae* pro nomine proprio sit; idemque hoc Ritschelius ipse excusaverat; v. Prol. Trin. p. 204 sq. c. adn. Postea tamen (N. exc. 1, 118) nominativum *vergilias* probavit. — Dubii vero sumus, utrum *tibi* pronomen an *aquae* non coniungamus: Amph. frg. IIII (p. 115 G. L.): *ne tu postulas matulam unam tibi aquae infundi in caput*, de quo versu cf. Langen. Symb. p. 94 sq. c. adn.

---

[1]) longe aliter atque olim Proleg. Trin. p. 143 adn. et p. 319.

[2]) v. Annal. 93 a. 1866 p 242.

[3]) In Pomponii versu 141 'quod laetitias insperatas modo mi irrepsere in sinum' verbum irrependi transitive dici optime monuit Buechelerus de declin. p. 17.

7. De m extremo.

Atque haec quidem de vocalibus longis et diphthongis. Ut autem monosyllabae voces non solum eae, quae in longam vocalem excidunt, ante subsequentem vocalem aut retinentur aut condemnantur a viris doctis, verum etiam quae littera m finiuntur: ita de polysyllabis in m desinentibus hoc loco verba faciam. Vocales enim quibus m consonans adiuncta est, ante vocalem positas eodem modo quo longas vocales iudicandas esse eam ob causam putamus, quod 'm finale longam syllabam facit sive producenda vocali sive obscuro sono cum vocali quasi in diphthongum coalescente' — id quod Lachmannus ad Lucr. II 991 p. 130 sq. aliique docent[1]).

Hic quoque, quemadmodum supra, ea exempla praemittimus, quae in mediis versibus h. e. in legitima caesura post m litteram hiatum praebent. Sunt autem hi senarii iambici: Amph. 3, 1, 15: *frustrationem | hodie iniciam maxumam*; Amph. 3, 3, 23: *fac Amphitruonem | advenientem ab aedibus*; *fac iam Amph.* apud Nonium scriptum videmus, qui ne proxima quidem integra servavit. Asin. 4, 1, 11: *alienum | hominem | intro mittat neminem*; duos hiatus Pylades exemit ita, ut *ad se* post *mittat* admisceret; Spengelius formam *homonem* ascivit (Plaut. p. 233). Sed cf. Ussing. adn. et Proleg. p. 218. Asin. 4, 1, 12: *quod illa aut amicum | aut patronum nominet*; Asin. 4, 1, 34: *talos ne quoiquam | homini admoveat nisi tibi*; Aul. 1, 1, 26: *nunc ibo, ut visam, | estne ita aurum, ut condidi*; de indicativo *est* v. Uss. adn. et Becker. in Studem. Stud. I 1 p. 273 sq. Aul. 2, 4, 37: *pulmentum pridem | ei eripuit miluos*; Aul. 4, 8, 12: *attat, eccum ipsum. | ibo, ut hoc condam, domum*; Bacch. 2, 1, 2: *post quam hinc in Ephesum | abii conspicio lubens*; Bacch. 2, 3, 35: *habetin aurum? | id mihi dici volo*; Bacch. 2, 3, 67: *auferimus aurum | omne illis praesentibus*; Bacch. 2, 3, 120: *senex in Ephesum | ibit aurum arcessere*; Bacch. 3, 4, 24: *mori me malim | excruciatum | inopia*; post *malim* Pylades addidit *misera*; Lambinus voluit *mori* ⟨*mala*⟩ *me*.. Versum autem delendum non esse Weisius ostendit; v. cap. II § 4. Bacch. 4, 5, 5: *senem tranquillum | esse, ubi me adspexerit*; Bacch. 4, 7, 22; v. supra § 2; Bacch. 4, 8, 59: *illa autem in arcem | abiit aedem visere*; Capt. 1, 2, 66: *nam eccum hic captivom | adulescentem | Aleum* . .: *Hoc illum me mutare confido pote*; ubi *eccum captivom hunc adulescentem* ⟨*emi*⟩ *Aleum* Fleckeiseno placuit. Capt. 2, 3, 4: *nam ego te aestumatum | huic dedi viginti minis*; eundem verborum *te aestumatum* ordinem habes in versibus 19 et 73; cf. v. 78. Capt.

---

[1]) Dubitationem movebant cum Studemundus (Annal. 93 p. 58) tum Corssenus; is enim (de locutione vocalismo accentu ling. Lat. vol. II Lips. 1870 p. 789 sq.) demonstrare conatur in veterum Romanorum arte metrica syllabam m littera finitam, si insequens vocabulum a vocali incipiat, pro brevi syllaba in consonam cadente fuisse. At primum ex iis quae adtulit, nihil colligi potest; deinde illam opinionem irritam esse vel inde apparet, quod sexcentis omnium poetarum locis m extremum vocali subiectum cum prima sequentis vocis vocali pro syllaba est.

3, 5, 51: *sed malene id factum | arbitrare?* — *Pessume*; Curc. 1, 1, 26: *aut quam pudicam | esse oportet?* — *Nemini*; Men. 1, 1, 13: *apud mensam plenam | homini rostrum deliges*; de dimensione *apúd mensám* vix quisquam cogitabit. Men. 1, 1, 20: *nam ego ad Menaechmum | hunc eo, quo iam diu;* Men. 2, 2, 18; v. cap. I § 7; Men. 4, 1, 9: *atque edepol eccum, | optime revortitur*; Men. 5. 4, 10: *atque eccum ipsum hominem. | observemus, quam rem agat*; Mil. 2, 1, 57: *apud suom paternum | hospitem, lepidum senem*; Mil. 3, 2, 19: *neque illic calidum | exbibit in prandium*; nam *illic*, nihil aliud, in codicum memoria *ille hic* inest. Most. 1, 1, 20: *corrumpe erilem | adulescentem | optumum*; vide Ussingii adnot.. qui *adulescentulum* poni posse censet. Most. 1, 1, 80: *video, corruptum | ex adulescente optumo*; Most. 3, 1, 65, de quo sup. cap. I § 4 dictum est; Most. 3, 1, 145: *atque evoca aliquem | intus ad te, Tranio*; Most. 3, 1, 156: *euge, optume eccum | aedium dominus foras*; Most. 3, 2, 78: *sub sóle columem | usque perpetuom diem*; sic fere ex Ambrosiano affertur teste Ritschelio, idemque Ussingius merito defendit. Pers. 1, 2, 15; v. supr. cap. II § 2 init.; cf. Speng. Plaut. p. 235. Pers. 3, 1, 64: *librorum eccillum | habeo plenum [illum] soracum*; Poen. 1, 3, 39: *me oboedientem | esse servo liberum*; parum apte *meo* adicitur. cum voci servi opponatur *liberum*, non *erum*; nos: 'dafs ich, ein Freier, einem Sklaven gehorche.' Poen. 2, 28: *volaticorum | hominum? |* — *Ita dico quidem*; Poen. 2, 38: *tam crebri ad terram | accidebant quam pira*; voc. *accidebant* verissime tutatus est Ussingius. Poen. 3, 3, 49: *at enim hic clam furtim | esse volt, ne quis sciat*; Poen. 3, 4, 2: *tuos servos aurum | ipsi lenoni dabit*; Poen. 3, 4, 17: *mox quom ad praetorem | usus veniet.* — *Meminimus*; Poen. 5, 2, 111: *quo me privatum | aegre patior mortuo*; Pseud. 1, 1, 104: *atque id futurum | unde [unde] dicam nescio*; particulam *unde* bis positam retineri posse Ritschelius putat (Opusc. III 143). Pseud. 1, 5, 80: *num quid peccatum | est, Simo?* — *Immo maxume*; Stich. 1, 3, 17: *nunc si ridiculum | hominem quaerat quispiam*; Stich. 3, 2, 7: *mustella murem | abstulit praeter pedes*; Trin. 2, 4, 55: *ferentarium amicum | esse inventum intellego*; Trin. 2, 4, 173: *numquam edepol quoiquam | exspectatus filius Natust, quam | illud est 'spondeo' natum mihi*; *tam* post *quoiquam* potest intercidisse; abest tamen Men. 5, 6, 3: *ut absente ero rem | eri diligenter Tutetur quamsi ipse adsit aut rectius*; Rud. 4, 3, 6: *non edepol piscis expeto quam tui sermonis sum indigens* al.[1]) Trin. 3, 3, 71; v. cap. I § 8; Truc. 1, 1, 32: *aut periit aurum | aut conscissa est pallula*; alterum *aut* Porphyrio servavit.

Complures hiatus expellas, si alio modo voces dimetiaris: Asin. 4, 1, 17: *ne epistula quidem | ulla sit in aedibus*, ubi *epistula* vocalem ultimam producere potest; v. Mueller. Pros. p. 3 sq.; Fleckeis. Misc. crit. 11 sq. Men. 3, 3, 20: *fiat. cedo aurum: | ego manupretium dabo*; Mil. 4, 9, 2: *ego iam conveniam | illum. | ubi ubi est gentium,*

---

[1]) sic saepius locutus est T. Livius; v. Weissenb. ad 25, 15, 9 (ed IIII 1880).

in quibus *ego* pronomen iambum explere potest; haud aliter *tene* in posteriore syllaba acuere satius videbatur Muellero: Pers. 3, 3, 9: *tene sis argentum | etiam tu argentum tenes?* Merc. 2, 1, 15: *suae uxoris dotem | ambadedisse. oppido*, ubi *suae ùxoris* vix cuiquam placebit. Mil. 2, 6, 4: *nam egomet cubantem | eam modo offendi domi*; voc. *eam* bisyllabum esse dicit Brixius; idem tamen 3, 1, 195 *ted* posuit, ut *eam* syllabam efficeret. Most. 3, 1, 94: *quod illud argentum | est.* — [*est*] *Huic debet Philolaches*, ubi *illud árgentum* licet legere. Stich. 3, 1, 43: *ea ibo obsonatum, | eadem referam obsonium*; haec Palatinorum lectio praestat Rescripti, qui *atque* inserit, *ea* omittit. Trin. 3, 3, 24: *locum quoque illum omnem, | ubi situst, comederit*; ea enim dimensione qua *quoque illum om-* anapaestum explet, offensionem Kochii Ritschelii effugimus, qui *illum* in arsi collocatum moleste ferunt. Trin. 3, 3, 65: *apud portitorem | eas resignatas sibi Inspectasque esse* . . quod Brixius contendit portitorum collegio, non singulis portitoribus licuisse litteras inspicere, non sequitur ut *portitores* restituendum sit quemadmodum 3, 3, 81: *apud portitores esse inspectas*; verum id sequitur, ut singularis numerus collective pro plurali dictus sit. Truc. 1, 1, 3: *neque eam rationem | eapse umquam educet Venus.* — Decem versus ita comparati sunt, ut in alia sede atque in tertia hiatum statuere possimus. In primo pede minus bene vocalium concursus fit Curc. 1, 1, 55 et Pers. 1, 3, 87; v. sup. cap. I § 2 et 1. Itemque in incisione potius quam post secundam thesim non eliditur: Amph. 1, 2, 9; Asin. 1, 1, 90; Bacch. 2, 3, 27; Merc. 2, 1, 35; de quibus v. cap. II § 1; Pers. 1, 2, 17: *dimidium. atque etiam | in ea lege adscribitor.* Ante ultimum creticum haud male hiari Curc. 2, 2, 28 supra. § 3 vidimus. In arsi autem *ubi* et *tu* cum hiatu corripere licitum est: Aul. 4, 8, 7: *indeque spectabam*[1]), *aurum ubi abstrudebat senex*; Trin. 3, 3, 51: *tum tu igitur demum | adulescenti aurum dabis*; editores in textum receperunt *demus*, quam formam Plautinam esse ex Truc. 2, 1, 34 colligunt, ubi Palatini libri habent *qui de thensauris integris demus danunt.* Mea tamen opinione Ambrosiani lectio *demum oggerunt* genuina est, ex qua usitatius verbum *danunt* facilius ortum est quam ex *danunt* elegantius *obgerunt.* Accedit etiam, quod Festus p. 70 solum Livium Andronicum auctorem adfert. — Ambigi potest, num huc referendi sint: Bacch. 4, 5, 6: *vorsabo ego illum | hodie, si vivo, probe*; Bacch. 4, 7, 35: *forem hanc pausillum | aperi; placide, ne crepet*; Capt. 2, 3, 12: *quom servitutem | ita fers, ut ferri decet*; Epid. 3, 3, 46: *ego si adlegassem | aliquem ad hoc negotium*; Poen. 3, 3, 58: . . *illum | hodie* . .; et in his quidem versibus nullo negotio hiatus removetur, si *illunc* in primo et in ultimo (cf. sup. § 4), *pausillulum* et *adlegavissem* in altero et in quarto, *uti* in tertio

---

[1]) 'spectabam' pro 'exspectabam' correxit Lambinus (cf. Langen. Symb. p. 155 sq.). Et in codicibus litteris sp st al. saepe e(ex) praefigitur, neque aliter i (in), de quo cf. Lachm. ad. Lucr. IIII 283 p. 231 sq.

reponimus; Stich. 1, 3, 80: *ut decumam partem* | *Herculi polluceam*; *uti* Camerarius edidit; Ritschelius versum intercidisse ratus in hunc modum orationem formavit: *ut, decumam partem ⟨si⟩ Herculi polluceam, Eo maior* * * *. — *Ecastor auctionem haud magni preti.* Sed EOMAIOR vel ECMATOR in Rescripto nihil aliud nisi ECASTOR videtur esse; cf. Geppert. Stud. Plaut. II p. 41. Reliqua coniecturis nituntur: Capt. 1, 1, 6: *estne invocatum* | *an non? ⟨est⟩ planissume*; sic Ussingius; Bentleius *scortum* ex praecedenti versu, in quo ferri nequit, post *invocatum* collocat; Curc. 3, 76: *Libyamque ⟨et⟩ oram* | *omnem Contenebroniam*; Mil. 4, 3, 12: *vidi hic sororem* | [*esse*] *eius. — Convenitne eam?* Poen. 5, 2, 115, de quo v. supr. § 2. — Detrahendi videntur: Amph. 1, 2, 13: *rediget antiquam in concordiam coniugi*; recte transponunt *coniugi in concordiam*; Aul. 2, 9, 2: *congrum, muraenam* | *exossata fac sient*; ex Nonio, qui bis hunc versum laudat, emendatur: . . *muraenam exdorsua, quantum potes*; Mil. 4, 3, 9, ubi *adesse* in Vetere, in ceteris falso *geminam* | *esse* traditur; Most. 2, 1, 76, in quo *me* a Pylade haud iniuria inseritur; Pers. 4, 6, 14: *eum ego ut requiram* | *atque* | *ut redimam, volo*; potuit sane restitui *uti*; sed valde mihi arridet quod Ritschelius edidit, *⟨dare operam⟩ volo.* Qui vero proceleusmaticum admittere nolet, ei *ac* vel *et* pro *atque ut* erit scribendum. Poen. 5, 6, 30: *habeamus hilarem* | *huius malo et nostro bono*; is enim in supposito huius fabulae exitu legitur; Pseud. 3, 2, 82: . . *rursum* | *ex* . .; sic Palatini codices exhibent, solus Ambrosianus *rursus* (de quo v. Ritsch. Opusc. II 259 sq.); Truc. 1, 1, 50: *heri plus scortorum* | *esse iam quam ponderum*; aut *heri* aut *esse* vitiosum est; illud Seyffertus putat, cum *ibi* idque pro iambo positum inducit. Contra Schoellius *fuisse* pro *esse* scripsit.

Sed de iambico senario hactenus; in septenarii trochaici caesura haec inveniuntur exempla: Amph. 1, 1, 116: *credo ego hac noctu Nocturnum* | *obdormivisse ebrium*; Amph. 1, 1, 163: *mirum ni hic me quasi muraenam* | *exossare cogitat*; Amph. 1, 3, 13: *ego faxim te* | *Amphitruonem* | *esse malis quam Iovem*; Amph. 2, 2, 219: *quid, si adduco tuom cognatum* | *huc a navi Naucratem*; Amph. 5, 1, 76: *ego Tiresiam coniectorem* | *advocabo et consulam*; Asin. 1, 3, 46: *diem aquam solem lunam noctem,* | *haec argento non emo*; Asin. 3, 1, 38: *sine me amare unum Argyrippum* | *animi causa, quem volo*; Asin. 5, 2, 84: *cano capite te cuculum* | *uxor ex lustris rapit*; Aul. 2, 1, 54: *et tu, frater. — Ego conveniam* | *Euclionem, si domi est*; Aul. 4, 1, 16: *neque sua opera rediget umquam* | *in splendorem compedes*; Aul. 5, 2, de quo infra dicemus. Bacch. 1, 1, 53: *atque ecastor apud hunc fluvium* | *aliquid perdundumst tibi*; Bacch. 3, 3, 88: *viden, ut aegre patitur gnatum* | *esse conruptum tuom*; Bacch. 4, 4, 41: *quid vis curem? — Ut ad senem etiam* | *alteram facias viam*; Bacch. 4, 4, 105: *num quid aliud? — Hoc, atque etiam:* | *ubi erit adcubitum semel*; Capt. 3, 4, 73: *mordicus. — Neque pol me insanum,* | *Hegio, esse creduis*; Capt. 5, 2, 24: *Philocrates, per tuom te*

genium | *obsecro, exi*; *te volo*; Men. 1, 4, 1: *sportulam cape atque argentum.* | *eccos tris nummos habes*; Men. 2, 3, 48: *ego quidem neque umquam uxorem* | *habui neque habeo*: *neque huc*; Men. 2, 3, 55: *nescio quem, mulier, alium* | *hominem, non me quaeritas*; Men. 4, 3, 7: *tibi dedi equidem illam, ad phrygionem* | *ut ferres, paulo prius*; Men. 4, 3, 22: *nimis iracunde hercle tandem.* | *heus tu, tibi dico, mane*; Men. 5, 2, 94: *ni occupo aliquod mihi consilium,* | *hi domum me ad se auferent*; Men. 5, 5, 24: *dic mihi hoc*: *solent tibi umquam* | *oculi duri fieri?* Men. 5, 9, 53: *cum patre ut abii Tarentum* | *ad mercatum, postea*; Merc. 3, 4, 52: *nemo aiebat scire.* — *At saltem* | *hominis faciem exquireres*; Merc. 5, 2, 21: *non concedam neque quiescam* | *usquam noctu neque dius;* formam *cusquam* Ritschelius (Opusc. III 143) sumpsit; *nusquam* ne Brixius[1]) quidem restitui iussit. Merc. 5, 4, 5: *di me servant.* — *Tibi* | *amicam* | *esse nullam nuntio*; Mil. 2, 5, 38: *an ista non sit Philocomasium* | *atque alia eius similis sit?* sic Spengelius Plaut. p. 138. Most. 1, 3, 121: *quid olant, nescias, nisi id unum,* | *ut male olere intellegas*; Most. 2, 1, 42: *satin habes, si ego advenientem* | *ita patrem faciam tuom*; Most. 5, 1, 6: *eaque eduxi omnem legionem,* | *et maris et feminas*; Poen. 1, 2, 170: *em mel, em cor, em labellum,* | *em salutem, em savium*; Poen. 1, 2, 175: *huius mel, huius cor, huius labellum,* | *huius lingua, huius savium*; Pseud. 4, 8, 7: *superavit dolum Troianum* | *atque Ulixem Pseudolus*; Stich. 4, 1, 51: *videlicet* [*non*] *fuisse illum nequam* | *adulescentem, qui ilico,* in quo *non* Ritschelius omisit, Seyffertus ita retinuit, ut *aequom* pro *nequam* scriberet. Praeterea ille vir doctus ordinem verborum immutavit, ut cum versu 49 congrueret; ego hunc potius, ut in quo perverse exhibeatur *videlicet parcum illum fuisse senem, qui* ⟨*id*⟩ *dixerit,* sic transponendum esse existimo *videlicet illúm fuisse párcum senem qui*.. Truc. 2, 2, 65, de quo supr. c. II § 1 verba fecimus; Truc. 2, 7, 22: *pallida est, ut peperit puerum.* | *adloquar quasi nesciam*; Truc. 4, 3, 16: *meo nepote? capita rerum* | *expedito.* — *Istae dedi*; Truc. 4, 3, 40: *et tibi quidem hercle* | *idem* | *adtulit magnum malum.*

Si alia vocum dimensione uteris, hiatum nullum habes his locis: Amph. 1, 1, 147: *iam pridem videtur factum,* | *heri quod homines quattuor*; Asin. 2, 2, 89: *ego me dixi erum adducturum* | *et me domi praesto fore*; *heri* et *mé domi* legi volunt Goetzius Loewius; Asin. 5, 2, 26: *sequere hac me modo*; *iam faxo ipsum* | *hominem manufesto opprimas*; posteriorem vocis *modo* syllabam produci Muellerus putat. Bacch. 3, 6, 25: *nam ni ita esset, tecum orarem ut ei quod posses mali*; aut *ut ei* aut *ei* quintum trochaeum efficit; Curc. 4, 1, 10: *qui mendacem et gloriosum,* | *apud Cloacinae sacrum*; *apúd* vix quisquam pronuntiabit; Curc. 5, 2, 21: *quam ego pecuniam quadruplicem* | *abs te et lenone auferam*; cum hiatu legi iubet Ritsch. Opusc. III 122; Goetzius *ted* reducit; Men. 5, 2, 27: *quid tu tristis*

---

[1]) Annal. 101 a. 1870 p. 779.

es? quid ille autem | *abs te iratus destitit?* Men. 5, 2, 59: *quid tu tristis es? quid illa autem* | *abs te irata destitit?* in quibus non tam *quid ille autem* legere quam *ted* formam ponere licet; Merc. 2, 3, 105: *maxumam hercle habebis praedam.* | *ita ille est, quoi* | *emitur, senex*; sic Ritsch.; Muellerus *ita illest*; Mil. 2, 3, 48: *quam ob rem iubeam? — Philocomasium* | *eccam domi, quam in proxumo*; hiatus magis placet quam *eccám domí* .. Most. 2, 1, 33: *igitur demum fodere puteum*, | *ubi sitis fauces tenet*; cf. Ritsch. Opusc. III 140; Pers. 4, 4, 95: *nunc et illum Miserum et me Miseram* | *aequom est nominarier*; male *illum* in priore syllaba acuit Muellerus; Poen. 4, 2, 31: *at ob hanc moram tibi reddam operam*, | *ubi vóles, ubi iusseris*; *moram*, quod pro pyrrhichio est, Rescripto debetur, cum ceteri *rem* prodant. — Nonnumquam in alia versus sede statui potest hiatus; atque duos locos iam supra (cap. I § 1 et II § 4 ext.) laudavimus: Asin. 2, 2, 80 et Pseud. 2, 2, 20. Praeterea extant: Men. 1, 2, 66: *mane mane, obsecro hercle: ab se eccam exit. ah, solem vide*; Men. 5, 9, 13: *ego hunc censebam te esse: huic etiam exhibui negotium*; in illo interiectio *hercle*, in hoc *ego* vel *te* integra manere possunt; Pseud. 2, 4, 61: *sed quid eo es facturus? — Dicam. ubi hominem exornavero*, in quo aut post quartum aut post quintum pedem non eliditur. — Aliquid dubitationis iniciunt: Amph. 2, 2, 165: .. *rursum* | *obsignasti* .. Camerarius restituit *rursus*; cf. supr. Pseud. 3, 2, 82; *obsignavisti* voluit Ritsch. Opusc. II 259 adn.; Capt. 5, 4, 19: .. *adduxtine illum* | *huius captivom filium? illunc* Brixius; Muellerus, quoniam in libris est *huius filium captivum*, maluit in hunc modum componere: *captivom huius filium*; Epid. 5, 1, 34: *lunulam atque anellum aureolum* | *in digitum? — Memini, mi homo*; et apte et facili opera Goetzius *digitulum* emendavit; Merc. 2, 3, 92: *mandavit* ⟨*ut*⟩ *ad illam faciem*, | *ita ut illa est, emerem sibi*; Merc. 3, 4, 81: *nam mihi nihil relicti quidquam* | *aliud iam esse intellego*; idem criticus in priore Mercatoris versu *illaec* edidit; in altero *relicui* ex consuetudine loquendi posuit atque tali modo dimensus est: *nám mihi nil rélicui quicquam áliud* ..; cf. tamen Uss. adn.; Mil. 2, 3, 68: *scin tu nullum conmeatum* | *hinc esse a nobis? — Scio*, ubi *hinc huc esse* scribendum videtur; cf. Uss. ad v. 331; Mil. 5, 2: *facite inter terram atque caelum ut siet*; *discindite*; sic Ussingius auctore Bothio, qui *uti siet* pro *ut sit* voluerat; neque quidquam impedit, quominus in initio alterius hemistichii, sicut in primo septenario (Curc. 2, 3, 43 et Merc. 1, 2, 63), *siet* restituatur[1]). Trin. 4, 3, 18: *nisi etiam laborem ad damnum adponam epithecam insuper*; Trin. 5, 2, 42: *si id mea voluntate factum*, | *est quod mihi suscenseas*; in hoc versu vulgo reponitur *factumst, est*; in illo, si *epithecam* retinemus, post quartam aut sextam thesim hiatur; nec tamen sine probabilitate

---

[1]) Etiam in aliis sedibus 'siet' scriptum videmus; atque etsi Stich. 1, 3, 48 ante ultimum creticum hiari possit, tamen alia exempla (Poen. 1, 1, 20; Amph. 1, 1, 6 (v. Uss.); Men. 5, 2, 14) probabili modo non eximuntur. Cf. Luchs. in Studem. Stud. I 1 p. 31; aliter sentit Muellerus Suppl. pros. p. 83 sq.

genium | *obsecro, exi*; *te volo*; Mer … metro parum co
argentum. | *eccos tris nummos* … *orum* | *optum*
neque umquam uxorem | *habui* … cum effeci
55: *nescio quem, mulier, aliu* … — In
4, 3, 7: *tibi dedi equidem il* … Merc.
prius; Men. 4, 3, 22: *nimi* … *es*
dico, mane; Men. 5, 2, 9 …
domum me ad se auferen … s
umquam | *oculi duri fier* … *am* |
tum | *ad mercatum, p* … uendum
At saltem | *hominis f* … ios non esse, e
neque quiescam | *us* … , 2, 45: (*nauteam*) *Bibere*
lius (Opusc. III 1 … *cularier*, ubi *sit* pro *est* cum
tui iussit. Merc … : . . *rem mandatam* | *agere* . .
nullam nuntio; … *ptati hoc adiunctum* | *odium* . . Merc.
alia eius simil … *ad vestigandum,* | *ubi sit illaec* . . ; hos
quid olant, … iber exhibet, reliqui tollunt; nam *gerere* et
1, 42: *sati* … curtato et Vaticano, *adiunctum est* in Britannico
Most. 5, … utur. Ex contrario Decurtatus Vaticanus praebent:
Poen. 1 … : *curram* . . *ad piscinam* | *aut lacum* . . ubi cum Ve-
savium … riptus servavit *aut ad lacum.* Porro Palatini omnes ad-
huius … Epid. 1, 2, 62: *ne hinc foras ambulet neve usquam* | *obviam*
num … *seni*; Most. 4, 2, 28: . . *heus, Tranio, etiam* | *aperis?* . . Most.
ill … 2, 55: *qui, postquam pater ad mercatum* | *abiit hinc, tibicinam*;
S … Poen. 4, 2, 33: *ut enim, ubi mihi vapulandum* | *est, tu corium suffe-
ras*; Poen. 4, 2, 71: *facile.* — *Fac ergo id facile noscam,* | *ut ille
possit noscere*; Ambrosianus autem recte exhibet in primo versu *ne
hinc foras exambulet neve obviam* . . ; in secundo *etiamne aperis*; in
tertio *hinc abiit, hic tib.*; in quarto *vap. sit*; in ultimo inserit *ego*,
quod Ussingius immerito neglexit. Uno loco non ex Rescripto *aures*
assumendum est, sed ex Palatinis *auriculis*: Poen. 1, 2, 163: *sine
te exorem, sine prehendam auriculis, sine dem savium.*

Septenariis subiciam octonarios in incisione hiulcos: Amph. 1, 1, 7: *ita quasi incudem me miserum* | *homines octo validi caedant*; Men. 4, 2, 29: *nec magis manufestum ego hominem* | *umquam ullum teneri vidi*; Pseud. 1, 3, 9: *nugae istaec sunt*; *non iucundum* | *est, nisi amans facit stulte.* — *Pergin?* de hoc cf. supr. c. II § 1 et 3 ext.

Iam vero eos hiatus ponam, quibus personae mutatio praesidio est. Senarii igitur iambici huc spectant: Asin. 1, 1, 96: *atque audin etiam?* | — *Ecce.* — *Si quid te volam*; Bacch. 4, 6, 15: *ego verbum* ⟨*nullum*⟩ *faciam.* | — *Etiam, carnufex*; Bacch. 4, 7, 26: *numquam auferes hinc aurum.* | — *Atqui iam dabis*; Capt. 1, 2, 49: *nunc habe bonum animum.* | — *Eheu!* | — *Huic illud dolet*; Curc. 1, 1, 88: *ita faciam.* | — *Agite bibite, festivae fores*; Merc. 4, 3, 24: *nescio quid dicam.* | — *Haeres.* — *Haud vidi magis*; Merc. 4, 3, 28: *dic igitur.* — *Dicam* . . — *Atqui dicundum est tamen*; Mil. 2, 6, 53:

nplexum atque oscul Certe haec exempla ad hiatum
um puerum. | — — Aliqua ex parte dubii sunt
4, 6, 17: *se* *non potem* | *ego quidem hercle . .*
ius versus *pio aliquem* | *emere puerum,*
nomen *perum* | *omne Graeciamque*
I § *habeas eram meam hanc*
r mo versu *egó quidem,* in
p. 234), in tertio cum
. i *beás erám* pronuntiare.
excute post *etiam* in caesura
hominem. | *ego illum hominem*
sq.) *Et ego sc* *ego illum hominem*
bene facis, iube .. — *Qu* *m e navi ex . .*
Men. 4, 2, 87: *quis hic homo e* nent, aut *illunc*
Edepol factum nequiter; Men. 5, 9, 1 *hodie hoc red-*
mum. | — *At ego me.* — *Quae haec fabu* itur; in De-
et salvam. | — *Ubi eam salvam?* | — *Ego sc* helius olim
Mil. 4, 4, 22: *date modo operam.* | — *Id nos a* pro *hoc*
venimus; Most. 1, 3, 135: *quid hic vos* [*diu*] *agit* eximenda
exorno ut placeam. | — *Ornata es satis*; Men. 3, 2, 13 us Am-
empti fuerant olim. | — *Audin 'fuerant' dicere?* Stich. 2, bi Bo-
lanam purpuramque multam. | — *Est qui ventrem vestiam*; Truc. mam
4, 36: *ita sunt gloriae meretricum.* | — *Ah tace.* — *Quid est, obsecro* ex-
in codicibus est *aha*; *vah* Bothius scripsit. Truc. 5, 54: *dedi ego huic* e-
aurum. | — *At ego argentum.* | — *At ego pallam purpuram.* — Ad-
numerandi sunt, nisi forte voc. *egone, ubi, abi, idem istoc* in alteris syl-
labis acuere vis, hi sex versus: Men. 4, 2, 88: *quis is Menaechmust?* — *Tu*
istic, inquam. | — *Egone?* — *Tu.* — *Quis arguit?* Men. 5, 5, 35: *quid*
ego dixi? — *Insanu's, inquam.* | — *Egone?* — *Tu istic, qui mihi*; Merc.
5, 2, 47: *tuam* | *amicam* .. — *Quid eam?* | — *Ubi sit, ego scio.* — *Tune*
obsecro? Pers. 4, 4, 78: *nihil adhuc peccavit etiam.* | — *Ubi tu nata*
es? — *Ut mihi*; Poen. 1, 2, 96: *potine mihi auscultare?* — *Pos-*
sum. | — *Abi domum ac suspende te*; Truc. 4, 2, 27: *praeterea*
unam in obsonatum. | — *Idem istoc delatum scio.* — Duobus locis
non in persona mutata, sed in alia sede haud minus vere hiatur:
Most. 3, 2, 123, cuius versus mentionem fecimus, cum de *tu* correpto
diceremus (cap. I § 4); Stich. 2, 2, 6: *quisnam hic loquitur tam prope*
nos? — *Pinacium.* — *Ubi is est?* — *Respice*, in quo non falso
quisnam non coniungitur (cf. cap. I § 7); *respice* autem, quod ver-
bum in libris omnibus sequenti versui praemittitur, Ritschelius haud
dubie recte in hunc transtulit. — Ambiguum esse potest iudicium
de his versibus: Aul. 4, 4, 23: *dextram.* | — *Em.* — *Nunc laevam*
ostende. — *Quin equidem ambas profero*; Merc. 2, 3, 91: (*illam*
mandavit mihi) *Ut emerem ad istanc faciem.* | — *At mihi quidam*
adulescens, pater; Mil. 4, 8, 35: *iam resipisti,* ⟨*Philocomasium*⟩*?* |
— *Obsecro, quem amplexa sum*; huius enim versus scriptura in
coniectura posita est (cf. supr. c. II § 1); secundum Ritschelius ita

restituit: (*aliquam mandavit* . .) . . *faciem* ⟨*ancillam*⟩; in primo *dexteram* cum codice Lipsiensi ponere solent. — Emendatus est ex Ambrosiano libro: Poen. 3, 2, 17: *satis praeceptum est.* — *Hic* . .; nam in Palatinis verbum substantivum praetermittitur. Ex Vetere corriguntur Merc. 3, 4, 41 et Truc. 2, 6, 24; nam *euge pape* et *ehecquit* in Vetere illo, in Decurtato et Vaticano *ullam* | *eugipe* (h. e. *eugepae*) et *lepidum.* | *ecquid* (vel *haecquid*) exhibentur. In Trinummo autem Palatini nobis produnt: Trin. 2, 2, 104: . . *quid id est autem unum?* — *Eloquàr*; neque dubium est, quin *quid est autem unum?* | *Eloquar* librario Rescripti codicis vitio vertendum sit. Iam a viris doctis restituuntur haec: Most. 2, 1, 22, de quo cf. supr. c. II § 4; Truc. 5, 65: *quin dedisti?* — *Ut extinxi hominem.* — *Immo ego* ⟨*te*⟩ *vero, qui dedi*, in quo *te* Bothius addidit.

Idem in oratione finita hiatus invenitur in iambico septenario: Mil. 4, 6, 4: *tuom est principium.* | — *Obsecro, tute ipsum convenisti?* sic enim Camerarius scripsit pro eo quod in libris est *tuum epsa incipium* vel *tuum est initium.* — Praeterea libri scripti exhibent Curc. 4, 2, 26: *tacuisse mallem.* | — *Haud male meditate male dicax es*; sed vix mutatio est quod idem Camerarius posuit *mavellem*.

Nec tamen solum in iis sedibus, ubi persona mutatur aut binae versuum partes committuntur, extrema m littera in thesi vocali excipitur, verum etiam aliis locis, quibus illa excusatio non datur. In altera senarii thesi collocatur: 1. Asin. 4, 1, 11: *alienum* | *hominem* | *intro mittat neminem*, de quo supra diximus. 2. Bacch. 4, 2, 6: *Bacchidem.* — *Utram* | *ergo?* — *Nihil scio nisi Bacchidem*; Bothium secutus Ritschelius edidit *utramne*; cf. supr. § 1 ad Most. 3, 1, 30. 3. Capt. 3, 5, 42: *nec quisquam* | *est mihi, aeque melius quoi velim*; Fleckeisenus *mihi* ⟨*alius*⟩, *aeque* scripsit; Muellerus *hominum* pro *mihi* substituebat: nec tamen est cur dativus offendat. 4. Men. 2, 2, 12: *peniculum* | *eccum in vidulo salvom fero*, ubi Ritschelius *tuum*, alius vir doctus (teste Ussingio) *ego* interponebat. 5. Men. 3, 2, 24: *flagitium* | *hominis, subdole ac minimi preti?* 6. Men. 5, 1, 9: *flagitium* | *hominis, cum istoc ornatu?* — *Quid est?* atque verba *flagitium hominis* prorsus eodem modo ponuntur in septenario iambico Asin. 2, 4, 67: *flagitium* | *hominis, da opsecro argentum huic, ne male loquatur* et in trochaico Cas. 3, 2, 22: *quasi catillatum. flagitium* | *hominis, qui dixit mihi.* Ritschelius igitur in Menaechmorum versibus *tu* inserebat, id quod Brixius suo iure ut ab usu Plautino alienum reiecit. Brixius ipse *homonis* formam in textum recepit, quae etiam maiorem dubitationem movet (v. supr. § 1 ad Men. 1, 4, 5). In Asinaria autem Goetzius Loewius hiatum omnino non tentaverunt. Et profecto ob id ipsum, quod eadem compellatio totiens sine ulla librorum discrepantia exhibetur, quaevis mutatio plurimum dubitationis afferre debet, praesertim cum per se quidem nihil inesse possit vituperationis. Atque aliqua vis ei rei non tribui non poterit, quod tale convicium a poeta confictum esse non videtur; immo *flagitium hominis* cum hiatu dictum tritum

usitatumque fuisse putandum est. Certe haec exempla ad hiatum iudicandum maximi momenti sunt. — Aliqua ex parte dubii sunt hiatus in his versibus: Aul. 3, 6, 34: *non potem* | *ego quidem hercle . .* | — *At ego iussero*[1]); Curc. 3, 12: *cupio aliquem* | *emere puerum, qui usurarius*; Men. 2, 1, 11: *mare superum* | *omne Graeciamque exoticam*; Men. 2, 2, 26: *qui amicam* | *habeas eram meam hanc Erotium?* neque enim vitiosum est in primo versu *egó quidem,* in altero *cupio aliquem* cum Spengelio (Plaut. p. 234), in tertio cum Brixio *maré superum,* in extremo *amícam habeás erám* pronuntiare. Alia de causa ambigitur Pers. 1, 2, 17, in quo post *etiam* in caesura hiari posse supra vidimus; Pers. 4, 9, 1: *nisi ego illum hominem perdo, perii. atque optume*; Pseud. 4, 3, 3: *nimisque ego illum hominem metuo et formido male*; Poen. 3, 3, 38: *atque istum e navi ex* . . ubi aut voces *ego navi* (v. § 2) ante vocalem remanent, aut *illunc istunc* facile scribuntur; Pseud. 1, 5, 116: *ecfectum* | *hodie hoc reddam utrumque ad vesperum*; ita in Vetere codice traditur; in Decurtato Vaticano *ecfectum hoc hodie reddam,* quod Ritschelius olim probaverat. Postea tamen (v. N. exc. 1, 93 c. adn. 3) pro *hoc hodie* formam *hocedie* recepit. — Pauca de hoc numero eximenda erant: Epid. 3, 4, 51: *meum gnatum*; *is ipse* . . ubi *is* solus Ambrosianus praebet; Merc. 4, 3, 31: *ista quidem* | *illa est* . . ubi Bothius *istaec* restituit: id quod propter sequentem q litteram summam habet probabilitatem; Trin. 2, 4, 91: *salillum* | *animae qui quom extemplo emisimus*; sic enim Palatini exhibent; quod autem in Rescripto est *satillum* haud dubie librarii mendo natum est. Sed cum *animam emittere* recte dicatur, non ita recte *salillum animae emittere* aut quod Ritschelius dubitanter edidit *sitellum animai emittere,* pro explorato habendum principalem lectionem fuisse *sal illud animae.*

Porro in quarto iambo haec leguntur: 1. Bacch. 2, 3, 1: *ibo in Piraeum*; *visam,* | *ecuqae advenerit*; hiatus tollendi causa *ecquaenam* Hermannus posuerat, eique assensus est Ritschelius; Muellerus *eo* ante *ecquae* addebat, quod mihi propter sequentia *in portum ex Epheso navis* nimis molestum videtur. 2. Capt. 3, 5, 7: *decet innocentem servom* | *atque innoxium*; Fleckeisenus *hominem* indidit; Kiesslingius versus 7 et 8 delendos existimat ut ex Pseud. 1, 5, 45 sq. fictos; sed v. Uss. adn. et cf. supra § 4 ad Most. 4, 3, 39. 3. Men. 5, 1, 20: *nam med aetatem viduam* | *esse mavelim*; Ritschelius primum transposuit *esse viduam,* deinde, ne in caesura hiaretur, scripsit: *nam* ⟨*meam*⟩ *med aetatem* . . At accusativum *aetatem,* si idem significaret quod *per totam vitam,* ubique sine *meam* pronomine dictum esse a Plauto Brixius animadvertit. 4. Men. 5, 1, 39: *quae mea flagitia?* — *Pallam* | *atque aurum meum Domo suppilas* . . non nego simplicissime cum Vahleno[2]) poni *pallas,* sicut paulo infra 5, 2, 52 *suppilat mihi aurum et pallas ex*

---

[1]) Euclionis verba 'non potem' . . media interrupta mihi videntur atque in hunc modum intellegenda: non potem ego . ., si (etiamsi) vinum mihi sit.

[2]) Mus. Rhen. 16 a. 1861 p. 635 sq.

arcis domo — quamquam singularis numerus *pallam et aurum hoc* legitur 5, 9, 82. Sed hoc velim attendatur saepius haud ita longo spatio interiecto locos continuari, in quibus si parva illa quae ex codicibus adferuntur discrimina sustuleris — ut sustulerunt critici —, nullo negotio hiatus tollas. Cuius rei insigne extat exemplum in eadem Menaechmorum scaena, in qua haec traduntur (5, 1, 19 sq.): *non ego | istaec flagitia possum perpeti: Nam med aetatem viduam | esse mavelim, Quam istaec flagitia tua pati quae tu facis.* Ritschelius Brixius in v. 19 *tua* inserunt, ut cum versibus 21 et 38 (*aperiam istaec tua flagitia*) aequetur oratio. Quo nihil cogitari potest perversius. Nam si matrona v. 19 non de flagitiis in universum, sed de certis Menaechmi loquitur, versus 21 supervacaneus est, quo tamen minime facile caremus (v. Brix. adn.). Apparet igitur pronomen *tua* in v. 21 suo loco positum esse, ab 19 abhorrere. Neque aliter in Milite glorioso 2, 2, 108 scribit poeta *amica | eri* (de quo v. supr. c. II § 3); paulo post (2, 3, 3) *erilem amicam* dicit: at certe, etsi *erilis amica* et *erilis concubina* in hac ipsa fabula octiens invenitur, genetivus non magis reiciendus est quam *eri concubina* 2, 4, 9 aut *militis concubina* 3, 3, 63. Prorsus idem in Aulularium cadit, cum 4, 1, 2 *inperium erile*, 4, 1, 13 *eri | inperium* cum hiatu ponitur. Similiterque in Militis actus quinti versu 19 habes *quod tu | hodie hic verberatus*, tribus versibus post *quod ego hic hodie vapularim*. Et alia comparari possunt; velut Aul. 2, 5, 3 et 8; Merc. 1, 2, 95 et 98. De Asin. 4, 1, 33 et 32. 34 vide supr. c. I § 6; de Most. 4, 3, 39 et 41 v. c. II § 4; de Pers. 2, 2, 58 et 60 v. c. II § 2; de Trin. 3, 3, 65 et 81 v. § 7; infra dicendum erit de Trin. 4, 2, 147 et 149. Haec igitur omnia adeo inter se comparia sunt, ut concludendum sit ad illas differentias poetam tendisse. Quod si acciderit, hiatus alius alii praesidio erunt. 5. Most. 3, 1, 33: *sed Philolachetis servom | eccum Tranium*; deteriorem verborum compositionem quam Pylades induxit *Phil. eccum servom* plerique recipiunt. (6.) Pers. 1, 2, 21: *si id fiat, ne isti faxim | usquam appareant*; cum Pylade *nusquam* reponi potest; v. Brix. Annal. 101 a. 1870 p. 779. 7. Pers. 3, 3, 10a: *non mihi censebas tantum | argenti fore*; voc. *tantum* in Ambrosiano fuisse Maiius testatur, Ritschelio non apparuit: *tantulum* autem ne tum quidem scriberem, si in illud spatium quadraret. 8. Poen. 5, 2, 49: *quid in hanc venistis urbem | aut quid quaeritis?* ubi *aut* ⟨*hic*⟩ *quid* Gepperto al. placuit. 9. Poen. 5, 3, 11: *cognoscin Giddeninem | ancillam tuam?* Muellerus *me* addere voluit (cf. Pros. p. 698; Suppl. 110 sq.). Immerito tamen nomen illud pro choriambo accipiunt Geppertus Ussingius; v. 5, 2, 159 et 4, 2, 76. 10. Stich. 1, 3, 81: *ecastor auctionem | haud magni preti*; *hanc* vel *eccam* intericiebant critici. 11. Stich. 3, 1, 6: *eos nunc laetantis faciam | adventu meo*; Ritschelius satis infeliciter *ego* interponit; alii ordinem vocum invertere malunt. 12. Truc. 2, 4, 62: *ad suom quemque aequom est quaestum | esse callidum*; similis versus in Asinaria invenitur (1, 3, 34): *vera dico: ad suom quemque hominem quaestum*

esse aequomst callidum. Neque vero eam ob causam alter versus damnandus aut alter ex altero emendandus est; v. Ussing. ad Asin. 185 (ubi add. Men. 5, 6, 22—25 et Most. 4, 1, 1—3, de quibus cf. Vahl. Herm. 17 p. 616), et cf. paulo supr. ad Men. 5, 1, 39. — Eundemque hiatum habes, si *ubi* particulam in priore, non in posteriore syllaba acuere vis: Aul. 3, 5, 33: *sed hoc etiam pulcrum est, praequam ubi sumptus petunt*; Poen. 3, 3, 89: *quid multa verba? faciam, ubi tu laveris, Ibi ut balneator* . . illum versum defendit Langenus (Symb. p. 32); in hoc Ritschelius (Opusc. III 138) *cubi* formam posuit, de qua supra diximus. — In alia versus sede effici possit vocalium concursus: Epid. 2, 3, 1; Mil. 1, 1, 4; Truc. 2, 3, 8, de quibus sup. cap. II § 1, § 4, c. I § 2 disseruimus. — Non nihil dubii sunt: Mil. 4, 9, 2: *ego iam conveniam* | *illum.* | *ubi ubi est gentium*, in quo *illunc* scribere nihil negotii est; Most. 2, 2, 4: *scies inposisse in undam*, | *haud causa ilico est* . . *quin* . . ubi Ritschelius vere videtur restituisse *haud causa est, ilico*, cf. Pseud. 1, 5, 119 *num quid causae est ilico Quin* . .; Truc. 2, 1, 16: *meretricem sentis similem* | *esse condecet*; quem versum senarium esse Kiesslingius intellexit; Spengelius (de emend. metr. p. 422) Rescripti memoriam sequitur, qui octonarium describit hunc: *bene lingua loqui. meretricem* . . *esse addecet.* — Falso hiatus traditur his locis: Aul. 4, 8, 9: *ecfodio aulam auri plenam.* | *inde ex eo loco*; at *inde exeo. ilico Video* . . Gulielmus reposuit. Bacch. 4, 5, 2: . . *possim* | *emolirier*; sic Decurtatus Vaticanus; *possiem* recte Vetus servavit, de quo cf. sup. ad Mil. 5, 2. Poen. 1, 3, 21, ubi *meream* | *oh* Palatini praebent, Ambrosianus *merear*, de quo cf. Uss. adn. Stich. 1, 3, 35: *nihili* . . *verbum* | *ac vilissumum*; sed cum in Rescripto *it* vel *et* post *verbum* extet, Ritschelius *id* inseruit.

Iam ante ultimum creticum haec ponuntur in senario (de quibus cf. Speng. Plaut. p. 235 sq.): 1. Amph. 3, 2, 16: *et eccum video, qui me miseram* | *arguit*; quod additur *modo* non solum inutile sed etiam alienum est. 2. Asin. 4, 1, 15: *in foribus scribat occupatam* | *esse se*; neque particula *iam* a Fleckeiseno interposita neque Pyladis traiectio *in foribus occupatam scribat esse se* placere possunt. 3. Bacch. frg. 7: *verum hic adulescens multo Ulixem* | *anteit*; Ritschelius transponendum esse censet *hic Ulixem multo adulescens antidit*; Buechelerus (Mus. Rhen. 15 a. 1860 p. 438 sq.; cf. ibid. 435 sq.) *Ulixeum* formam vindicabat, sed v. Ritsch. Opusc. II 322. 4. Bacch. 3, 4, 24: *mori me malim* | *excruciatum* | *inopia*; 5. Capt. 1, 2, 66: *nam eccum hic captivom* | *adulescentem* | *Aleum*; de quibus supra verba fecimus. 6. Merc. 4, 1, 10: *qui* | *hanc vicini nostri* | *aram* | *augeam*; v. supra c. I § 2. 7. Most. 1, 1, 20: *corrumpe erilem* | *adulescentem* | *optumum*; 8. Pers. 1, 2, 15: *eum esse civem* | *et fidelem* | *et bonum*; de quibus v. cap. II § 7 et 2. 9. Poen. 2, 39: *ut quisque acciderat, eum necabam* | *ilico*; pluralem *necabant* nullo pacto Camerarius Ussingius accipere debebant, quia miles aperte affirmat (v. 27 et 30) se volaticos illos homines suis manibus

occidisse. Geppertus igitur *eodem loco* scribendum esse coniecerat, quamquam *ilico* etiam in Ambrosiano legitur. 10. Stich. 1, 3, 113: *sed eccum Pinacium* | *eius puerum.* | *hoc vide*; distinctionem excusant Hermannus (Elem. doctr. metr. p. 191) Ritschelius; Fleckeisenus vero *hoc* ⟨*sis*⟩ *vide* voluit. 11. Trin. 1, 2, 121: *quae mihi mandatast, habeo dotem* | *unde dem*; priscam formam *cunde*, quam Ritschelius in textu posuit, supra § 1 improbavimus. — Ad haec exempla accedere mihi videntur Amph. 3, 2, 67: *redissem salvos, ea ego exsolvam* | *omnia*; Curc. 2, 2, 26: . . *exi,* | *exi*; *exi, inquam,* | *ocius*; nam minus bene *ego* et alterum *exi* in quarto pede integra manent; v. cap. II § 2. Nemini exploratum est, num huc referantur: Men. 1, 1, 25: *cerialis cenas dat, ita mensam* | *extruit*, ita in libris Plautinis traditur; Festus autem pro *mensam* pluralem numerum *mensas* exhibet, quem critici hiatus impatientes lubenter sumpserunt. Utra lectio verior sit, difficile est diiudicare, cum et haec et illa recte poni potuerit. Id tamen aliquid ponderis habere mihi videtur, quod, cum pluralis *cenas* praecedat, facilius ex singulari *mensam* nasci potuit *mensas* quam ex contrario singularis ex genuino *mensas.* Mil. 3, 2, 34, in quo *prómere; vérum* | *hóc erat* sine dubitatione legerem, nisi dactylica vox *promere* efficeretur; hoc autem evitatur, si infinitivum in tertia syllaba acuimus, de qua dimensione Brixius verissime iudicat (adn. ad 848). — Tres senarii hoc loco omittendi erant: Stich. 3, 1, 41, ubi *harunc aedium* et Ambrosianus et Vetus recte exhibent; reliqui *harum*; (cf. Schmidt. de pron. dem. p. 48); Merc. 2, 1, 35: . . *ad navem devehor*; sic Rescriptus; in ceteris *advehor* scribitur; Trin. 2, 4, 17: *ratio quidem hercle adparet: argentum οἴχεται*; nam *hercle apparet* cum Palatinis codicibus ponendum est; Ambrosianus inverso ordine *apparet hercle* praebet, ita ut aut post *hercle* aut post *argentum* hietur.

Deinceps septenarios trochaicos excutimus. Atque in primo pede m littera his locis vocali excipitur: 1. Asin. 5, 2, 71: *miseram* | *odio* | *enicavit* . ., de quo cap. II § 1 disputatum est. 2. Aul. 3, 3, 4: *etiam* | *intro duce, si vis, vel gregem venalium*; plerique *huc* interponunt cum Camerario. Ussingius versum uncis inclusit: sed singularis numerus non modo non offensioni est (v. supr. c. II § 1 ad Aul. 3, 3, 7), verum hoc loco necessario exigitur, quia ministris — ii enim venales sunt — coquus praeest praecipitque. 3. Bacch. 3, 1, 17: *ut eum* | *ex lutulento coeno propere hinc eliciat foras*; pro *eum* Ritschelius *gnatum* substituebat; sed hunc quidem hiatum facilius feremus, quod post vocabulum iambicum accidit; cf. paulo supra ad Bacch. 4, 2, 6. 4. Men. 1, 2, 56: *summum* | *olfactare oportet vestimentum muliebre?* vulgo cum Guyeto verba sic collocantur: *summum oportet olfactare* . . — Incerti sunt versus duo: Amph. 1, 1, 124: *nisi item* | *unam, verberatus quam pependi perpetem*; Aul. 3, 3, 9: *coctum ego, non vapulatum, dudum conductus fui*; in priore cum *itidem*, quod Fleckeisenus voluit, tum *nisi* ⟨*si*⟩ *item* cum Lachmanno reponere licitum est; in posteriore autem vix

quisquam hiabit, immo cum Ussingio altera pronominis *ego* syllaba producenda erit. — Eximendi sunt quattuor versus: Capt. 5, 2, 11: *tandem* | *ista aufer; dic quid fers* . .; nam *istaec*, non *ista* Plautus semper dixit; v. Schmidt. de pron. dem. p. 74 sq. Duos hiatus Vetus codex Camerarii tollit, qui haec fere habet: Merc. 1, 2, 30: *hominem ego iracundiorem* . . Poen. 3, 1, 48: *horunc hic nunc* . .; Decurtatus et Vaticanus *ego* omittunt et *horum* praebent. Ex Rescripto denique emendatus est Merc. 2, 3, 123: *certumne est?* . . ubi Palatini omnes *certum* | *est* adferunt.

Porro in altera sede haec exstant hiatus exempla: 1. Asin. 2, 2, 26: *edepol hominem* | *infelicem, qui patronam conprimat;* ⟨*heu*⟩ *edepol hominem* Camerarius posuerat, idemque novissimis editoribus probatum est. 2. Asin. 5, 2, 21: *eum etiam hominem* | *in senatu dare operam aut cluentibus*; particula *aut*, quam iidem viri docti inserunt, aliena potius quam accommodata est. 3. Aul. 5, 2: *quadrilibrem aulam* | *auro onustam* | *habeo*; *quis me est divitior?* neque Spengelius (Plaut. 222) neque Ritschelius (N. exc. 1, 63) quidquam mutant, nisi quod hic vir doctus *aurod* scripsit. Et profecto alia ratione hiatus ille expelli vix potest. A Goetzio et transponitur *onustam auro* et *alter* post *est* additur. 4. Capt. 5, 4, 27: *quasi per nebulam* | *Hegionem meum patrem vocarier*; Brixius cum Muellero *olim* interposuit; Fleckeisenus *nebulas* edidit, quamquam eadem vocabula *quasi per nebulam* in Pseudolo 1, 5, 47 sq. leguntur. 5. Men. 5, 7, 22: *eripe oculum* | *isti, ab umero qui tenet, ere, te obsecro*; dativus *istic* haud minorem dubitationem habet quam *illic* (v. supr. § 2); alterum accusativum *te* Ritschelius post *isti*, Camerarius ante *tenet* admiscebat. Sed in tradita scriptura ad verbum *tenet*, non ad *obsecro* pronomen *te* referendum est; atque hoc etiam magis perspicuum fit, si in hunc modum dimetimur: *qui tenet ére te* (*ted*), *óbsecro*. 6. Merc. 5, 1, 1: *limen superum* | *inferumque salve, simul autem vale*, ubi *superumque* Ritschelius restituebat. 7. Pers. 2, 3, 10: *nam hoc argentum* | *alibi abutar*: *boves, quos emerem, non erant*; *abutar alibi* Guyetus transposuit, Ritschelius *iam* inserere maluit. (8.) Pseud. 2, 3, 7: (*hic doli, hic fallaciae omnes, hic sunt sycophantiae,*) *Hic argentum,* | *hic amica amanti erili filio*; verbum substantivum facile auditur, neque ipse cum Camerario interiecerim. Eodem pertinere videtur: Trin. 4, 2, 43: *si ante lucem* | *ire occipias a meo primo nomine*; cum in Vetere libro post *ire* spatium sex litterarum sit, Ritschelius (Prol. Trin. p. 72) *hercle* interposuit; ego huic rei tantam vim non tribuerim, quoniam paulo infra (4, 2, 104 sq.) in eodem codice lacunarum spatia non servata vidimus. — Alia pedum dimensione tres hiatus exemeris: Epid. 1, 2, 18: *quem quidem ego hominem* | *inrigatum plagis pistori dabo*; Trin. 5, 2, 6: *nam beneficium* | *homini proprium quod datur, prosum perit*; fortasse Most. 5, 2, 3: *quoque modo hominem* | *ad* ⟨*venientem*⟩ *servos ludificatus sit*; quamquam in Trinummo ne Ritschelius quidem

genium | *obsecro, exi*; *te volo*; Men. 1, 4, 1: *sportulam cape atque argentum.* | *eccos tris nummos habes*; Men. 2, 3, 48: *ego quidem neque umquam uxorem* | *habui neque habeo*: *neque huc*; Men. 2, 3, 55: *nescio quem, mulier, alium* | *hominem, non me quaeritas*; Men. 4, 3, 7: *tibi dedi equidem illam, ad phrygionem* | *ut ferres, paulo prius*; Men. 4, 3, 22: *nimis iracunde hercle tandem.* | *heus tu, tibi dico, mane*; Men. 5, 2, 94: *ni occupo aliquod mihi consilium,* | *hi domum me ad se auferent*; Men. 5, 5, 24: *dic mihi hoc*: *solent tibi umquam* | *oculi duri fieri*? Men. 5, 9, 53: *cum patre ut abii Tarentum* | *ad mercatum, postea*; Merc. 3, 4, 52: *nemo aiebat scire.* — *At saltem* | *hominis faciem exquireres*; Merc. 5, 2, 21: *non concedam neque quiescam* | *usquam noctu neque dius;* formam *cusquam* Ritschelius (Opusc. III 143) sumpsit; *nusquam* ne Brixius[1]) quidem restitui iussit. Merc. 5, 4, 5: *di me servant.* — *Tibi* | *amicam* | *esse nullam nuntio*; Mil. 2, 5, 38: *an ista non sit Philocomasium* | *atque alia eius similis sit*? sic Spengelius Plaut. p. 138. Most. 1, 3, 121: *quid olant, nescias, nisi id unum,* | *ut male olere intellegas*; Most. 2, 1, 42: *satin habes, si ego advenientem* | *ita patrem faciam tuom*; Most. 5, 1, 6: *eaque eduxi omnem legionem,* | *et maris et feminas*; Poen. 1, 2, 170: *em mel, em cor, em labellum,* | *em salutem, em savium*; Poen. 1, 2, 175: *huius mel, huius cor, huius labellum,* | *huius lingua, huius savium*; Pseud. 4, 8, 7: *superavit dolum Troianum* | *atque Ulixem Pseudolus*; Stich. 4, 1, 51: *videlicet* [*non*] *fuisse illum nequam* | *adulescentem, qui ilico,* in quo *non* Ritschelius omisit, Seyffertus ita retinuit, ut *aequom* pro *nequam* scriberet. Praeterea ille vir doctus ordinem verborum immutavit, ut cum versu 49 congrueret; ego hunc potius, ut in quo perverse exhibeatur *videlicet parcum illum fuisse senem, qui* ⟨*id*⟩ *dixerit,* sic transponendum esse existimo *videlicet illúm fuisse párcum senem qui*. . Truc. 2, 2, 65, de quo supr. c. II § 1 verba fecimus; Truc. 2, 7, 22: *pallida est, ut peperit puerum.* | *adloquar quasi nesciam*; Truc. 4, 3, 16: *meo nepote*? *capita rerum* | *expedito.* — *Istae dedi*; Truc. 4, 3, 40: *et tibi quidem hercle* | *idem* | *adtulit magnum malum.*

Si alia vocum dimensione uteris, hiatum nullum habes his locis: Amph. 1, 1, 147: *iam pridem videtur factum,* | *heri quod homines quattuor*; Asin. 2, 2, 89: *ego me dixi erum adducturum* | *et me domi praesto fore*; *herí* et *mé domí* legi volunt Goetzius Loewius; Asin. 5, 2, 26: *sequere hac me modo*; *iam faxo ipsum* | *hominem manufesto opprimas*; posteriorem vocis *modo* syllabam produci Muellerus putat. Bacch. 3, 6, 25: *nam ni ita esset, tecum orarem ut ei quod posses mali*; aut *ut ei* aut *ei* quintum trochaeum efficit; Curc. 4, 1, 10: *qui mendacem et gloriosum,* | *apud Cloacinae sacrum*; *apúd* vix quisquam pronuntiabit; Curc. 5, 2, 21: *quam ego pecuniam quadruplicem* | *abs te et lenone auferam*; cum hiatu legi iubet Ritsch. Opusc. III 122; Goetzius *ted* reducit; Men. 5, 2, 27: *quid tu tristis*

---

[1]) Annal. 101 a. 1870 p. 779.

es? quid ille autem | *abs te iratus destitit?* Men. 5, 2, 59: *quid tu tristis es? quid illa autem* | *abs te irata destitit?* in quibus non tam *quid ille autem* legere quam *ted* formam ponere licet; Merc. 2, 3, 105: *maxumam hercle habebis praedam.* | *ita ille est, quoi* | *emitur, senex*; sic Ritsch.; Muellerus *ita illest*; Mil. 2, 3, 48: *quam ob rem iubeam?* — *Philocomasium* | *eccam domi, quam in proxumo*; hiatus magis placet quam *eccám domí* .. Most. 2, 1, 33: *igitur demum fodere puteum,* | *ubi sitis fauces tenet*; cf. Ritsch. Opusc. III 140; Pers. 4, 4, 95: *nunc et illum Miserum et me Miseram* | *aequom est nominarier*; male *illum* in priore syllaba acuit Muellerus; Poen. 4, 2, 31: *at ob hanc moram tibi reddam operam,* | *ubi vóles, ubi iusseris*; *moram*, quod pro pyrrhichio est, Rescripto debetur, cum ceteri *rem* prodant. — Nonnumquam in alia versus sede statui potest hiatus; atque duos locos iam supra (cap. I § 1 et II § 4 ext.) laudavimus: Asin. 2, 2, 80 et Pseud. 2, 2, 20. Praeterea extant: Men. 1, 2, 66: *mane mane, obsecro hercle: ab se eccam exit. ah, solem vide*; Men. 5, 9, 13: *ego hunc censebam te esse: huic etiam exhibui negotium*; in illo interiectio *hercle*, in hoc *ego* vel *te* integra manere possunt; Pseud. 2, 4, 61: *sed quid eo es facturus?* — *Dicam. ubi hominem exornavero*, in quo aut post quartum aut post quintum pedem non eliditur. — Aliquid dubitationis iniciunt: Amph. 2, 2, 165: .. *rursum* | *obsignasti* .. Camerarius restituit *rursus*; cf. supr. Pseud. 3, 2, 82; *obsignavisti* voluit Ritsch. Opusc. II 259 adn.; Capt. 5, 4, 19: .. *adduxtine illum* | *huius captivom filium? illunc* Brixius; Muellerus, quoniam in libris est *huius filium captivum*, maluit in hunc modum componere: *captivom huius filium*; Epid. 5, 1, 34: *lunulam atque anellum aureolum* | *in digitum?* — *Memini, mi homo*; et apte et facili opera Goetzius *digitulum* emendavit; Merc. 2, 3, 92: *mandavit* ⟨*ut*⟩ *ad illam faciem,* | *ita ut illa est, emerem sibi*; Merc. 3, 4, 81: *nam mihi nihil relicti quidquam* | *aliud iam esse intellego*; idem criticus in priore Mercatoris versu *illaec* edidit; in altero *relicui* ex consuetudine loquendi posuit atque tali modo dimensus est: *nám mihi nil rélicui quicquam áliud* ..; cf. tamen Uss. adn.; Mil. 2, 3, 68: *scin tu nullum conmeatum* | *hinc esse a nobis?* — *Scio*, ubi *hinc huc esse* scribendum videtur; cf. Uss. ad v. 331; Mil. 5, 2: *facite inter terram atque caelum ut siet*; *discindite*; sic Ussingius auctore Bothio, qui *uti siet* pro *ut sit* voluerat; neque quidquam impedit, quominus in initio alterius hemistichii, sicut in primo septenario (Curc. 2, 3, 43 et Merc. 1, 2, 63), *siet* restituatur[1]. Trin. 4, 3, 18: *nisi etiam laborem ad damnum adponam epithecam insuper*; Trin. 5, 2, 42: *si id mea voluntate factum,* | *est quod mihi suscenseas*; in hoc versu vulgo reponitur *factumst, est*; in illo, si *epithecam* retinemus, post quartam aut sextam thesim hiatur; nec tamen sine probabilitate

[1]) Etiam in aliis sedibus 'siet' scriptum videmus; atque etsi Stich. 1, 3, 48 ante ultimum creticum hiari possit, tamen alia exempla (Poen. 1, 1, 20; Amph. 1, 1, 6 (v. Uss.); Men. 5, 2, 14) probabili modo non eximuntur. Cf. Luchs. in Studem. Stud. I 1 p. 31; aliter sentit Muellerus Suppl. pros. p. 83 sq.

ἐπιθήκην substituitur (v. Ritsch. adn.). — De metro parum constat Capt. 4, 2, 56: *quantum est hominum | optumorum | optume, in tempore advenis*; nam Brixius septenarium iambicum effecit, cum *hominum optume optumorum . . advenisti* scriberet. — In quattuor denique versibus a viris doctis hiatus inducitur: Merc. 1, 2, 39: *vin tu te mihi esse obsequentem | an . .* ubi *mihi obesse sequentem* traditur; Mil. 2, 3, 8: *maxumum in malum cruciatum [que] | insuliamus. — Tu sali*; Mil. 4, 8, 2, de quo supra c. II § 1 dictum est; Truc. 2, 5, 27: *ubi es, Astaphium? fer huc verbenam | intus et bellaria*, ubi *intus* pro *mihi tus* Buechelerus restituendum proposuit. — Certum est in hunc numerum asciscendos non esse, etsi in libris hiatus proditur, hos versus: Asin. 5, 2, 45: (*nauteam*) *Bibere malim, si necessum | est, quam illam oscularier*, ubi *sit* pro *est* cum Nonio ponendum; Bacch. 3, 3, 73: . . *rem mandatam | agere . .* Curc. 1, 3, 34: *iam huic voluptati hoc adiunctum | odium . .* Merc. 5, 2, 94: *operam ut sumam ad vestigandum, | ubi sit illaec . .*; hos tres hiatus unus Vetus liber exhibet, reliqui tollunt; nam *gerere* et *pervestigandum* in Decurtato et Vaticano, *adiunctum est* in Britannico et Lipsiensi traduntur. Ex contrario Decurtatus Vaticanus praebent: Poen. 1, 2, 80: *curram . . ad piscinam | aut lacum . .* ubi cum Vetere Rescriptus servavit *aut ad lacum*. Porro Palatini omnes adferunt: Epid. 1, 2, 62: *ne hinc foras ambulet neve usquam | obviam veniat seni*; Most. 4, 2, 28: . . *heus, Tranio, etiam | aperis?* . . Most. 4, 2, 55: *qui, postquam pater ad mercatum | abiit hinc, tibicinam*; Poen. 4, 2, 33: *ut enim, ubi mihi vapulandum | est, tu corium sufferas*; Poen. 4, 2, 71: *facile. — Fac ergo id facile noscam, | ut ille possit noscere*; Ambrosianus autem recte exhibet in primo versu *ne hinc foras exambulet neve obviam . .*; in secundo *etiamne aperis*; in tertio *hinc abiit, hic tib.*; in quarto *vap. sit*; in ultimo inserit *ego*, quod Ussingius immerito neglexit. Uno loco non ex Rescripto *aures* assumendum est, sed ex Palatinis *auriculis*: Poen. 1, 2, 163: *sine te exorem, sine prehendam auriculis, sine dem savium.*

Septenariis subiciam octonarios in incisione hiulcos: Amph. 1, 1, 7: *ita quasi incudem me miserum | homines octo validi caedant*; Men. 4, 2, 29: *nec magis manufestum ego hominem | umquam ullum teneri vidi*; Pseud. 1, 3, 9: *nugae istaec sunt*; *non iucundum | est, nisi amans facit stulte. — Pergin?* de hoc cf. supr. c. II § 1 et 3 ext.

Iam vero eos hiatus ponam, quibus personae mutatio praesidio est. Senarii igitur iambici huc spectant: Asin. 1, 1, 96: *atque audin etiam? | — Ecce. — Si quid te volam*; Bacch. 4, 6, 15: *ego verbum ⟨nullum⟩ faciam. | — Etiam, carnufex*; Bacch. 4, 7, 26: *numquam auferes hinc aurum. | — Atqui iam dabis*; Capt. 1, 2, 49: *nunc habe bonum animum. | — Eheu! | — Huic illud dolet*; Curc. 1, 1, 88: *ita faciam. | — Agite bibite, festivae fores*; Merc. 4, 3, 24: *nescio quid dicam. | — Haeres. — Haud vidi magis*; Merc. 4, 3, 28: *dic igitur. — Dicam . . — Atqui dicundum est tamen*; Mil. 2, 6, 53:

conplexum atque osculantem. | *Eanest?* — *Nescio*; Mil. 4, 9, 8: *facetum puerum.* | — *Intro te ut eas obsecrat*; Poen. 2, 28; v. supra; Pseud. 4, 6, 17: *sed convenistine hominem.* | — *Immo ambos simul*; Kiesslingius versus huius scaenae 17—24 damnavit: sed quo referemus pronomen *eo* (v. 25)? — Eodem revoco Pseud. 3, 2, 57, v. supr. cap. I § 2 et Truc. 2, 4, 64: *relictusne abs te vivam?* | — *Ubi illud quod volo.*

Veniamus ad septenarios trochaicos, qui in oratione finita concursum vocalium habent: Aul. 4, 4, 19: *nive adeo abstulisse vellem.* | — *Agedum, excutedum pallium*; Bacch. 3, 6, 23: *inprobum istunc esse oportet hominem.* | — *Ego ita esse arbitror*; Seyffertus (Stud. Pl. p. 12 sq.) *Et ego* scripsit probavitque exemplis. Capt. 4, 2, 63: *bene facis, iube* .. — *Quid iubeam?* | — *Ignem ingentem fieri*; Men. 4, 2, 87: *quis hic homo est?* — *Menaechmus quidam.* | — *Edepol factum nequiter*; Men. 5, 9, 18: *hunc ego esse aio Menaechmum.* | — *At ego me.* — *Quae haec fabulast?* Merc. 5, 2, 48: *sanam et salvam.* | — *Ubi eam salvam?* | — *Ego scio.* — *Ego me mavelim*; Mil. 4, 4, 22: *date modo operam.* | — *Id nos ad te, si quid velles, venimus*; Most. 1, 3, 135: *quid hic vos* [*diu*] *agitis?* — *Tibi me exorno ut placeam.* | — *Ornata es satis*; Men. 3, 2, 136: *eo pretio empti fuerant olim.* | — *Audin 'fuerant' dicere?* Stich. 2, 2, 52: *lanam purpuramque multam.* | — *Est qui ventrem vestiam*; Truc. 4, 4, 36: *ita sunt gloriae meretricum.* | — *Ah tace.* — *Quid est, obsecro?* in codicibus est *aha*; *vah* Bothius scripsit. Truc. 5, 54: *dedi ego huic aurum.* | — *At ego argentum.* | — *At ego pallam purpuram.* — Adnumerandi sunt, nisi forte voc. *egone, ubi, abi, idem istoc* in alteris syllabis acuere vis, hi sex versus: Men. 4, 2, 88: *quis is Menaechmust?* — *Tu istic, inquam.* | — *Egone?* — *Tu.* — *Quis arguit?* Men. 5, 5, 35: *quid ego dixi?* — *Insanu's, inquam.* | — *Egone?* — *Tu istic, qui mihi*; Merc. 5, 2, 47: *tuam* | *amicam* .. — *Quid eam?* | — *Ubi sit, ego scio.* — *Tune obsecro?* Pers. 4, 4, 78: *nihil adhuc peccavit etiam.* | — *Ubi tu nata es?* — *Ut mihi*; Poen. 1, 2, 96: *potine mihi auscultare?* — *Possum.* | — *Abi domum ac suspende te*; Truc. 4, 2, 27: *praeterea unam in obsonatum.* | — *Idem istoc delatum scio.* — Duobus locis non in persona mutata, sed in alia sede haud minus vere hiatur: Most. 3, 2, 123, cuius versus mentionem fecimus, cum de *tu* correpto diceremus (cap. I § 4); Stich. 2, 2, 6: *quisnam hic loquitur tam prope nos?* — *Pinacium.* — *Ubi is est?* — *Respice*, in quo non falso *quisnam* non coniungitur (cf. cap. I § 7); *respice* autem, quod verbum in libris omnibus sequenti versui praemittitur, Ritschelius haud dubie recte in hunc transtulit. — Ambiguum esse potest iudicium de his versibus: Aul. 4, 4, 23: *dextram.* | — *Em.* — *Nunc laevam ostende.* — *Quin equidem ambas profero*; Merc. 2, 3, 91: (*illam mandavit mihi*) *Ut emerem ad istanc faciem.* | — *At mihi quidam adulescens, pater*; Mil. 4, 8, 35: *iam resipisti,* ⟨*Philocomasium*⟩? | — *Obsecro, quem amplexa sum*; huius enim versus scriptura in coniectura posita est (cf. supr. c. II § 1); secundum Ritschelius ita

restituit: (*aliquam mandavit* . .) . . *faciem* ⟨*ancillam*⟩; in primo *dexteram* cum codice Lipsiensi ponere solent. — Emendatus est ex Ambrosiano libro: Poen. 3, 2, 17: *satis praeceptum est.* — *Hic* . .; nam in Palatinis verbum substantivum praetermittitur. Ex Vetere corriguntur Merc. 3, 4, 41 et Truc. 2, 6, 24; nam *euge pape* et *ehecquit* in Vetere illo, in Decurtato et Vaticano *ullam* | *eugipe* (h. e. *eugepae*) et *lepidum.* | *ecquid* (vel *haecquid*) exhibentur. In Trinummo autem Palatini nobis produnt: Trin. 2, 2, 104: . . *quid id est autem unum?* — *Eloquàr*; neque dubium est, quin *quid est autem unum?* | *Eloquar* librario Rescripti codicis vitio vertendum sit. Iam a viris doctis restituuntur haec: Most. 2, 1, 22, de quo cf. supr. c. II § 4; Truc. 5, 65: *quin dedisti?* — *Ut extinxi hominem.* — *Immo ego* ⟨*te*⟩ *vero, qui dedi*, in quo *te* Bothius addidit.

Idem in oratione finita hiatus invenitur in iambico septenario: Mil. 4, 6, 4: *tuom est principium.* | — *Obsecro, tute ipsum convenisti?* sic enim Camerarius scripsit pro eo quod in libris est *tuum epsa incipium* vel *tuum est initium.* — Praeterea libri scripti exhibent Curc. 4, 2, 26: *tacuisse mallem.* | — *Haud male meditate male dicax es*; sed vix mutatio est quod idem Camerarius posuit *mavellem.*

Nec tamen solum in iis sedibus, ubi persona mutatur aut binae versuum partes committuntur, extrema m littera in thesi vocali excipitur, verum etiam aliis locis, quibus illa excusatio non datur. In altera senarii thesi collocatur: 1. Asin. 4, 1, 11: *alienum* | *hominem* | *intro mittat neminem*, de quo supra diximus. 2. Bacch. 4, 2, 6: *Bacchidem.* — *Utram* | *ergo?* — *Nihil scio nisi Bacchidem*; Bothium secutus Ritschelius edidit *utramne*; cf. supr. § 1 ad Most. 3, 1, 30. 3. Capt. 3, 5, 42: *nec quisquam* | *est mihi, aeque melius quoi velim*; Fleckeisenus *mihi* ⟨*alius*⟩, *aeque* scripsit; Muellerus *hominum* pro *mihi* substituebat: nec tamen est cur dativus offendat. 4. Men. 2, 2, 12: *peniculum* | *eccum in vidulo salvom fero*, ubi Ritschelius *tuum*, alius vir doctus (teste Ussingio) *ego* interponebat. 5. Men. 3, 2, 24: *flagitium* | *hominis, subdole ac minimi preti?* 6. Men. 5, 1, 9: *flagitium* | *hominis, cum istoc ornatu?* — *Quid est?* atque verba *flagitium hominis* prorsus eodem modo ponuntur in septenario iambico Asin. 2, 4, 67: *flagitium* | *hominis, da opsecro argentum huic, ne male loquatur* et in trochaico Cas. 3, 2, 22: *quasi catillatum. flagitium* | *hominis, qui dixit mihi.* Ritschelius igitur in Menaechmorum versibus *tu* inserebat, id quod Brixius suo iure ut ab usu Plautino alienum reiecit. Brixius ipse *homonis* formam in textum recepit, quae etiam maiorem dubitationem movet (v. supr. § 1 ad Men. 1, 4, 5). In Asinaria autem Goetzius Loewius hiatum omnino non tentaverunt. Et profecto ob id ipsum, quod eadem compellatio totiens sine ulla librorum discrepantia exhibetur, quaevis mutatio plurimum dubitationis afferre debet, praesertim cum per se quidem nihil inesse possit vituperationis. Atque aliqua vis ei rei non tribui non poterit, quod tale convicium a poeta confictum esse non videtur; immo *flagitium hominis* cum hiatu dictum tritum

usitatumque fuisse putandum est. Certe haec exempla ad hiatum iudicandum maximi momenti sunt. — Aliqua ex parte dubii sunt hiatus in his versibus: Aul. 3, 6, 34: *non potem* | *ego quidem hercle* . . | — *At ego iussero*[1]); Curc. 3, 12: *cupio aliquem* | *emere puerum, qui usurarius*; Men. 2, 1, 11: *mare superum* | *omne Graeciamque exoticam*; Men. 2, 2, 26: *qui amicam* | *habeas eram meam hanc Erotium?* neque enim vitiosum est in primo versu *egó quidem,* in altero *cupío aliquem* cum Spengelio (Plaut. p. 234), in tertio cum Brixio *maré superum,* in extremo *amícam habeás erám* pronuntiare. Alia de causa ambigitur Pers. 1, 2, 17, in quo post *etiam* in caesura hiari posse supra vidimus; Pers. 4, 9, 1: *nisi ego illum hominem perdo, perii. atque optume*; Pseud. 4, 3, 3: *nimisque ego illum hominem metuo et formido male*; Poen. 3, 3, 38: *atque istum e navi ex* . . ubi aut voces *ego navi* (v. § 2) ante vocalem remanent, aut *illunc istunc* facile scribuntur; Pseud. 1, 5, 116: *ecfectum* | *hodie hoc reddam utrumque ad vesperum*; ita in Vetere codice traditur; in Decurtato Vaticano *ecfectum hoc hodie reddam,* quod Ritschelius olim probaverat. Postea tamen (v. N. exc. 1, 93 c. adn. 3) pro *hoc hodie* formam *hocedie* recepit. — Pauca de hoc numero eximenda erant: Epid. 3, 4, 51: *meum gnatum*; *is ipse* . . ubi *is* solus Ambrosianus praebet; Merc. 4, 3, 31: *ista quidem* | *illa est* . . ubi Bothius *istaec* restituit: id quod propter sequentem q litteram summam habet probabilitatem; Trin. 2, 4, 91: *salillum* | *animae qui quom extemplo emisimus*; sic enim Palatini exhibent; quod autem in Rescripto est *satillum* haud dubie librarii mendo natum est. Sed cum *animam emittere* recte dicatur, non ita recte *salillum animae emittere* aut quod Ritschelius dubitanter edidit *sitellum animai emittere,* pro explorato habendum principalem lectionem fuisse *sal illud animae.*

Porro in quarto iambo haec leguntur: 1. Bacch. 2, 3, 1: *ibo in Piraeum*; *visam,* | *ecuqae advenerit*; hiatus tollendi causa *ecquaenam* Hermannus posuerat, eique assensus est Ritschelius; Muellerus *eo* ante *ecquae* addebat, quod mihi propter sequentia *in portum ex Epheso navis* nimis molestum videtur. 2. Capt. 3, 5, 7: *decet innocentem servom* | *atque innoxium*; Fleckeisenus *hominem* indidit; Kiesslingius versus 7 et 8 delendos existimat ut ex Pseud. 1, 5, 45 sq. fictos; sed v. Uss. adn. et cf. supra § 4 ad Most. 4, 3, 39. 3. Men. 5, 1, 20: *nam med aetatem viduam* | *esse mavelim*; Ritschelius primum transposuit *esse viduam,* deinde, ne in caesura hiaretur, scripsit: *nam* ⟨*meam*⟩ *med aetatem* . . At accusativum *aetatem,* si idem significaret quod *per totam vitam,* ubique sine *meam* pronomine dictum esse a Plauto Brixius animadvertit. 4. Men. 5, 1, 39: *quae mea flagitia?* — *Pallam* | *atque aurum meum Domo suppilas* . . non nego simplicissime cum Vahleno[2]) poni *pallas,* sicut paulo infra 5, 2, 52 *suppilat mihi aurum et pallas ex*

[1]) Euclionis verba 'non potem' . . media interrupta mihi videntur atque in hunc modum intellegenda: non potem ego . ., si (etiamsi) vinum mihi sit.

[2]) Mus. Rhen. 16 a. 1861 p. 635 sq.

arcis domo — quamquam singularis numerus *pallam et aurum hoc* legitur 5, 9, 82. Sed hoc velim attendatur saepius haud ita longo spatio interiecto locos continuari, in quibus si parva illa quae ex codicibus adferuntur discrimina sustuleris — ut sustulerunt critici —, nullo negotio hiatus tollas. Cuius rei insigne extat exemplum in eadem Menaechmorum scaena, in qua haec traduntur (5, 1, 19 sq.): *non ego | istaec flagitia possum perpeti: Nam med aetatem viduam | esse mavelim, Quam istaec flagitia tua pati quae tu facis.* Ritschelius Brixius in v. 19 *tua* inserunt, ut cum versibus 21 et 38 (*aperiam istaec tua flagitia*) aequetur oratio. Quo nihil cogitari potest perversius. Nam si matrona v. 19 non de flagitiis in universum, sed de certis Menaechmi loquitur, versus 21 supervacaneus est, quo tamen minime facile caremus (v. Brix. adn.). Apparet igitur pronomen *tua* in v. 21 suo loco positum esse, ab 19 abhorrere. Neque aliter in Milite glorioso 2, 2, 108 scribit poeta *amica | eri* (de quo v. supr. c. II § 3); paulo post (2, 3, 3) *erilem amicam* dicit: at certe, etsi *erilis amica* et *erilis concubina* in hac ipsa fabula octiens invenitur, genetivus non magis reiciendus est quam *eri concubina* 2, 4, 9 aut *militis concubina* 3, 3, 63. Prorsus idem in Aulularium cadit, cum 4, 1, 2 *inperium erile*, 4, 1, 13 *eri | inperium* cum hiatu ponitur. Similiterque in Militis actus quinti versu 19 habes *quod tu | hodie hic verberatus*, tribus versibus post *quod ego hic hodie vapularim.* Et alia comparari possunt; velut Aul. 2, 5, 3 et 8; Merc. 1, 2, 95 et 98. De Asin. 4, 1, 33 et 32. 34 vide supr. c. I § 6; de Most. 4, 3, 39 et 41 v. c. II § 4; de Pers. 2, 2, 58 et 60 v. c. II § 2; de Trin. 3, 3, 65 et 81 v. § 7; infra dicendum erit de Trin. 4, 2, 147 et 149. Haec igitur omnia adeo inter se comparia sunt, ut concludendum sit ad illas differentias poetam tendisse. Quod si acciderit, hiatus alius alii praesidio erunt. 5. Most. 3, 1, 33: *sed Philolachetis servom | eccum Tranium*; deteriorem verborum compositionem quam Pylades induxit *Phil. eccum servom* plerique recipiunt. (6.) Pers. 1, 2, 21: *si id fiat, ne isti faxim | usquam appareant*; cum Pylade *nusquam* reponi potest; v. Brix. Annal. 101 a. 1870 p. 779. 7. Pers. 3, 3, 10a: *non mihi censebas tantum | argenti fore*; voc. *tantum* in Ambrosiano fuisse Maiius testatur, Ritschelio non apparuit; *tantulum* autem ne tum quidem scriberem, si in illud spatium quadraret. 8. Poen. 5, 2, 49: *quid in hanc venistis urbem | aut quid quaeritis?* ubi *aut* ⟨*hic*⟩ *quid* Gepperto al. placuit. 9. Poen. 5, 3, 11: *cognoscin Giddeninem | ancillam tuam?* Muellerus *me* addere voluit (cf. Pros. p. 698; Suppl. 110 sq.). Immerito tamen nomen illud pro choriambo accipiunt Geppertus Ussingius; v. 5, 2, 159 et 4, 2, 76. 10. Stich. 1, 3, 81: *ecastor auctionem | haud magni preti*; *hanc* vel *eccam* intericiebant critici. 11. Stich. 3, 1, 6: *eos nunc laetantis faciam | adventu meo*; Ritschelius satis infeliciter *ego* interponit; alii ordinem vocum invertere malunt. 12. Truc. 2, 4. 62: *ad suom quemque aequom est quaestum | esse callidum*; similis versus in Asinaria invenitur (1, 3, 34): *vera dico: ad suom quemque hominem quaestum*

esse aequomst callidum. Neque vero eam ob causam alter versus damnandus aut alter ex altero emendandus est; v. Ussing. ad Asin. 185 (ubi add. Men. 5, 6, 22—25 et Most. 4, 1, 1—3, de quibus cf. Vahl. Herm. 17 p. 616), et cf. paulo supr. ad Men. 5, 1, 39. — Eundemque hiatum habes, si *ubi* particulam in priore, non in posteriore syllaba acuere vis: Aul. 3, 5, 33: *sed hoc etiam pulcrum est, praequam ubi sumptus petunt*; Poen. 3, 3, 89: *quid multa verba? faciam, ubi tu laveris. Ibi ut balneator* . . illum versum defendit Langenus (Symb. p. 32); in hoc Ritschelius (Opusc. III 138) *cubi* formam posuit, de qua supra diximus. — In alia versus sede effici possit vocalium concursus: Epid. 2, 3. 1; Mil. 1, 1, 4; Truc. 2, 3, 8, de quibus sup. cap. II § 1, § 4, c. I § 2 disseruimus. — Non nihil dubii sunt: Mil. 4, 9, 2: *ego iam conveniam | illum. | ubi ubi est gentium*, in quo *illunc* scribere nihil negotii est; Most. 2, 2, 4: *scies inposisse in undam, | haud causa ilico est . . quin* . . ubi Ritschelius vere videtur restituisse *haud causa est, ilico*, cf. Pseud. 1, 5, 119 *num quid causae est ilico Quin* . .; Truc. 2, 1, 16: *meretricem sentis similem | esse condecet*; quem versum senarium esse Kiesslingius intellexit; Spengelius (de emend. metr. p. 422) Rescripti memoriam sequitur, qui octonarium describit hunc: *bene lingua loqui. meretricem . . esse addecet.* — Falso hiatus traditur his locis: Aul. 4, 8. 9: *ecfodio aulam auri plenam. | inde ex eo loco*; at *inde exeo. ilico Video* . . Gulielmus reposuit. Bacch. 4, 5, 2: . . *possim | emolirier*; sic Decurtatus Vaticanus; *possiem* recte Vetus servavit, de quo cf. sup. ad Mil. 5, 2. Poen. 1, 3, 21, ubi *meream | oh* Palatini praebent, Ambrosianus *merear*, de quo cf. Uss. adn. Stich. 1, 3, 35: *nihili . . verbum | ac vilissumum*; sed cum in Rescripto *it* vel *et* post *verbum* extet, Ritschelius *id* inseruit.

Iam ante ultimum creticum haec ponuntur in senario (de quibus cf. Speng. Plaut. p. 235 sq.): 1. Amph. 3, 2, 16: *et eccum video, qui me miseram | arguit*; quod additur *modo* non solum inutile sed etiam alienum est. 2. Asin. 4, 1, 15: *in foribus scribat occupatam | esse se*; neque particula *iam* a Fleckeiseno interposita neque Pyladis traiectio *in foribus occupatam scribat esse se* placere possunt. 3. Bacch. frg. 7: *verum hic adulescens multo Ulixem | anteit*; Ritschelius transponendum esse censet *hic Ulixem multo adulescens antidit*; Buechelerus (Mus. Rhen. 15 a. 1860 p. 438 sq.; cf. ibid. 435 sq.) *Ulixeum* formam vindicabat, sed v. Ritsch. Opusc. II 322. 4. Bacch. 3, 4, 24: *mori me malim | excruciatum | inopia*; 5. Capt. 1, 2, 66: *nam eccum hic captivom | adulescentem | Aleum*; de quibus supra verba fecimus. 6. Merc. 4, 1, 10: *qui | hanc vicini nostri | aram | augeam*; v. supra c. I § 2. 7. Most. 1, 1, 20: *corrumpe erilem | adulescentem | optumum*; 8. Pers. 1, 2, 15: *eum esse civem | et fidelem | et bonum*; de quibus v. cap. II § 7 et 2. 9. Poen. 2, 39: *ut quisque acciderat, eum necabam | ilico*; pluralem *necabant* nullo pacto Camerarius Ussingius accipere debebant, quia miles aperte affirmat (v. 27 et 30) se volaticos illos homines suis manibus

arcis domo — quamquam singularis numerus *pallam et aurum hoc* legitur 5, 9, 82. Sed hoc velim attendatur saepius haud ita longo spatio interiecto locos continuari, in quibus si parva illa quae ex codicibus adferuntur discrimina sustuleris — ut sustulerunt critici —, nullo negotio hiatus tollas. Cuius rei insigne extat exemplum in eadem Menaechmorum scaena, in qua haec traduntur (5, 1, 19 sq.): *non ego | istaec flagitia possum perpeti: Nam med aetatem viduam | esse mavelim, Quam istaec flagitia tua pati quae tu facis.* Ritschelius Brixius in v. 19 *tua* inserunt, ut cum versibus 21 et 38 (*aperiam istaec tua flagitia*) aequetur oratio. Quo nihil cogitari potest perversius. Nam si matrona v. 19 non de flagitiis in universum, sed de certis Menaechmi loquitur, versus 21 supervacaneus est, quo tamen minime facile caremus (v. Brix. adn.). Apparet igitur pronomen *tua* in v. 21 suo loco positum esse, ab 19 abhorrere. Neque aliter in Milite glorioso 2, 2, 108 scribit poeta *amica | eri* (de quo v. supr. c. II § 3); paulo post (2, 3, 3) *erilem amicam* dicit: at certe, etsi *erilis amica* et *erilis concubina* in hac ipsa fabula octiens invenitur, genetivus non magis reiciendus est quam *eri concubina* 2, 4, 9 aut *militis concubina* 3, 3, 63. Prorsus idem in Aulularium cadit, cum 4, 1, 2 *imperium erile*, 4, 1, 13 *eri | imperium* cum hiatu ponitur. Similiterque in Militis actus quinti versu 19 habes *quod tu | hodie hic verberatus*, tribus versibus post *quod ego hic hodie vapularim*. Et alia comparari possunt; velut Aul. 2, 5, 3 et 8; Merc. 1, 2, 95 et 98. De Asin. 4, 1, 33 et 32. 34 vide supr. c. I § 6; de Most. 4, 3, 39 et 41 v. c. II § 4; de Pers. 2, 2, 58 et 60 v. c. II § 2; de Trin. 3, 3, 65 et 81 v. § 7; infra dicendum erit de Trin. 4, 2, 147 et 149. Haec igitur omnia adeo inter se comparia sunt, ut concludendum sit ad illas differentias poetam tendisse. Quod si acciderit, hiatus alius alii praesidio erunt. 5. Most. 3, 1, 33: *sed Philolachetis servom | eccum Tranium*; deteriorem verborum compositionem quam Pylades induxit *Phil. eccum servom* plerique recipiunt. (6.) Pers. 1, 2, 21: *si id fiat, ne isti faxim | usquam appareant*; cum Pylade *nusquam* reponi potest; v. Brix. Annal. 101 a. 1870 p. 779. 7. Pers. 3, 3, 10a: *non mihi censebas tantum | argenti fore*; voc. *tantum* in Ambrosiano fuisse Maiius testatur, Ritschelio non apparuit; *tantulum* autem ne tum quidem scriberem, si in illud spatium quadraret. 8. Poen. 5, 2, 49: *quid in hanc venistis urbem | aut quid quaeritis?* ubi *aut* ⟨*hic*⟩ *quid* Gepperto al. placuit. 9. Poen. 5, 3, 11: *cognoscin Giddeninem | ancillam tuam?* Muellerus *me* addere voluit (cf. Pros. p. 698; Suppl. 110 sq.). Immerito tamen nomen illud pro choriambo accipiunt Geppertus Ussingius; v. 5, 2, 159 et 4, 2, 76. 10. Stich. 1, 3, 81: *ecastor auctionem | haud magni preti*; *hanc* vel *eccam* intericiebant critici. 11. Stich. 3, 1, 6: *eos nunc laetantis faciam | adventu meo*; Ritschelius satis infeliciter *ego* interponit; alii ordinem vocum invertere malunt. 12. Truc. 2, 4, 62: *ad suom quemque aequom est quaestum | esse callidum*; similis versus in Asinaria invenitur (1, 3, 34): *vera dico: ad suom quemque hominem quaestum*

esse aequomst callidum. Neque vero eam ob causam alter versus damnandus aut alter ex altero emendandus est; v. Ussing. ad Asin. 185 (ubi add. Men. 5, 6, 22—25 et Most. 4, 1, 1—3, de quibus cf. Vahl. Herm. 17 p. 616), et cf. paulo supr. ad Men. 5, 1, 39. — Eundemque hiatum habes, si *ubi* particulam in priore, non in posteriore syllaba acuere vis: Aul. 3, 5, 33: *sed hoc etiam pulcrum est, praequam ubi sumptus petunt*; Poen. 3, 3, 89: *quid multa verba? faciam, ubi tu laveris. Ibi ut balneator* . . illum versum defendit Langenus (Symb. p. 32); in hoc Ritschelius (Opusc. III 138) *cubi* formam posuit, de qua supra diximus. — In alia versus sede effici possit vocalium concursus: Epid. 2, 3, 1; Mil. 1, 1, 4; Truc. 2, 3, 8, de quibus sup. cap. II § 1, § 4, c. I § 2 disseruimus. — Non nihil dubii sunt: Mil. 4, 9, 2: *ego iam conveniam | illum. | ubi ubi est gentium*, in quo *illunc* scribere nihil negotii est; Most. 2, 2, 4: *scies inposisse in undam, | haud causa ilico est* . . *quin* . . ubi Ritschelius vere videtur restituisse *haud causa est, ilico*, cf. Pseud. 1, 5, 119 *num quid causae est ilico Quin* . .; Truc. 2, 1, 16: *meretricem sentis similem | esse condecet*; quem versum senarium esse Kiesslingius intellexit; Spengelius (de emend. metr. p. 422) Rescripti memoriam sequitur, qui octonarium describit hunc: *bene lingua loqui. meretricem* . . *esse addecet.* — Falso hiatus traditur his locis: Aul. 4, 8. 9: *ecfodio aulam auri plenam. | inde ex eo loco*; at *inde exeo. ilico Video* . . Gulielmus reposuit. Bacch. 4, 5, 2: . . *possim | emolirier*; sic Decurtatus Vaticanus; *possiem* recte Vetus servavit, de quo cf. sup. ad Mil. 5, 2. Poen. 1, 3, 21, ubi *meream | oh* Palatini praebent, Ambrosianus *merear*, de quo cf. Uss. adn. Stich. 1, 3, 35: *nihili* . . *verbum | ac vilissumum*; sed cum in Rescripto *it* vel *et* post *verbum* extet, Ritschelius *id* inseruit.

Iam ante ultimum creticum haec ponuntur in senario (de quibus cf. Speng. Plaut. p. 235 sq.): 1. Amph. 3, 2, 16: *et eccum video, qui me miseram | arguit*; quod additur *modo* non solum inutile sed etiam alienum est. 2. Asin. 4, 1, 15: *in foribus scribat occupatam | esse se*; neque particula *iam* a Fleckeiseno interposita neque Pyladis traiectio *in foribus occupatam scribat esse se* placere possunt. 3. Bacch. frg. 7: *verum hic adulescens multo Ulixem | anteit*; Ritschelius transponendum esse censet *hic Ulixem multo adulescens antidit*; Buechelerus (Mus. Rhen. 15 a. 1860 p. 438 sq.; cf. ibid. 435 sq.) *Ulixeum* formam vindicabat, sed v. Ritsch. Opusc. II 322. 4. Bacch. 3, 4, 24: *mori me malim | excruciatum | inopia*; 5. Capt. 1, 2, 66: *nam eccum hic captivom | adulescentem | Aleum*; de quibus supra verba fecimus. 6. Merc. 4, 1, 10: *qui | hanc vicini nostri | aram | augeam*; v. supra c. I § 2. 7. Most. 1, 1, 20: *corrumpe erilem | adulescentem | optumum*; 8. Pers. 1, 2, 15: *eum esse civem | et fidelem | et bonum*; de quibus v. cap. II § 7 et 2. 9. Poen. 2, 39: *ut quisque acciderat, eum necabam | ilico*; pluralem *necabant* nullo pacto Camerarius Ussingius accipere debebant, quia miles aperte affirmat (v. 27 et 30) se volaticos illos homines suis manibus

occidisse. Geppertus igitur *eodem loco* scribendum esse coniecerat, quamquam *ilico* etiam in Ambrosiano legitur. 10. Stich. 1, 3, 113: *sed eccum Pinacium | eius puerum. | hoc vide*; distinctionem excusant Hermannus (Elem. doctr. metr. p. 191) Ritschelius; Fleckeisenus vero *hoc ⟨sis⟩ vide* voluit. 11. Trin. 1, 2, 121: *quae mihi mandatast, habeo dotem | unde dem*; priscam formam *cunde*, quam Ritschelius in textu posuit, supra § 1 improbavimus. — Ad haec exempla accedere mihi videntur Amph. 3, 2, 67: *redissem salvos, ea ego exsolvam | omnia*; Curc. 2, 2, 26: . . *exi, | exi*; *exi, inquam, | ocius*; nam minus bene *ego* et alterum *exi* in quarto pede integra manent; v. cap. II § 2. Nemini exploratum est, num huc referantur: Men. 1, 1, 25: *cerialis cenas dat, ita mensam | extruit*, ita in libris Plautinis traditur; Festus autem pro *mensam* pluralem numerum *mensas* exhibet, quem critici hiatus impatientes lubenter sumpserunt. Utra lectio verior sit, difficile est diiudicare, cum et haec et illa recte poni potuerit. Id tamen aliquid ponderis habere mihi videtur, quod, cum pluralis *cenas* praecedat, facilius ex singulari *mensam* nasci potuit *mensas* quam ex contrario singularis ex genuino *mensas*. Mil. 3, 2, 34, in quo *prómere; vérum | hóc erat* sine dubitatione legerem, nisi dactylica vox *promere* efficeretur; hoc autem evitatur, si infinitivum in tertia syllaba acuimus, de qua dimensione Brixius verissime iudicat (adn. ad 848). — Tres senarii hoc loco omittendi erant: Stich. 3, 1, 41, ubi *harunc aedium* et Ambrosianus et Vetus recte exhibent; reliqui *harum*; (cf. Schmidt. de pron. dem. p. 48); Merc. 2, 1, 35: . . *ad navem devehor*; sic Rescriptus; in ceteris *advehor* scribitur; Trin. 2, 4, 17: *ratio quidem hercle adparet: argentum οἴχεται*; nam *hercle apparet* cum Palatinis codicibus ponendum est; Ambrosianus inverso ordine *apparet hercle* praebet, ita ut aut post *hercle* aut post *argentum* hietur.

Deinceps septenarios trochaicos excutimus. Atque in primo pede m littera his locis vocali excipitur: 1. Asin. 5, 2, 71: *miseram | odio | enicavit* . ., de quo cap. II § 1 disputatum est. 2. Aul. 3, 3, 4: *etiam | intro duce, si vis, vel gregem venalium*; plerique *huc* interponunt cum Camerario. Ussingius versum uncis inclusit: sed singularis numerus non modo non offensioni est (v. supr. c. II § 1 ad Aul. 3, 3, 7), verum hoc loco necessario exigitur, quia ministris — ii enim venales sunt — coquus praeest praecipitque. 3. Bacch. 3, 1, 17: *ut eum | ex lutulento coeno propere hinc eliciat foras*; pro *eum* Ritschelius *gnatum* substituebat; sed hunc quidem hiatum facilius feremus, quod post vocabulum iambicum accidit; cf. paulo supra ad Bacch. 4, 2, 6. 4. Men. 1, 2, 56: *summum | olfactare oportet vestimentum muliebre?* vulgo cum Guyeto verba sic collocantur: *summum oportet olfactare* . . — Incerti sunt versus duo: Amph. 1, 1, 124: *nisi item | unam, verberatus quam pependi perpetem*; Aul. 3, 3, 9: *coctum ego, non vapulatum, dudum conductus fui*; in priore cum *itidem*, quod Fleckeisenus voluit, tum *nisi ⟨si⟩ item* cum Lachmanno reponere licitum est; in posteriore autem vix

quisquam hiabit, immo cum Ussingio altera pronominis *ego* syllaba producenda erit. — Eximendi sunt quattuor versus: Capt. 5, 2, 11: *tandem* | *ista aufer; dic quid fers* . .; nam *istaec*, non *ista* Plautus semper dixit; v. Schmidt. de pron. dem. p. 74 sq. Duos hiatus Vetus codex Camerarii tollit, qui haec fere habet: Merc. 1, 2, 30: *hominem ego iracundiorem* . . Poen. 3, 1, 48: *horunc hic nunc* . .; Decurtatus et Vaticanus *ego* omittunt et *horum* praebent. Ex Rescripto denique emendatus est Merc. 2, 3, 123: *certumne est?* . . ubi Palatini omnes *certum* | *est* adferunt.

Porro in altera sede haec exstant hiatus exempla: 1. Asin. 2, 2, 26: *edepol hominem* | *infelicem, qui patronam conprimat;* ⟨*heu*⟩ *edepol hominem* Camerarius posuerat, idemque novissimis editoribus probatum est. 2. Asin. 5, 2, 21: *eum etiam hominem* | *in senatu dare operam aut cluentibus*; particula *aut*, quam iidem viri docti inserunt, aliena potius quam accommodata est. 3. Aul. 5, 2: *quadrilibrem aulam* | *auro onustam* | *habeo*; *quis me est divitior?* neque Spengelius (Plaut. 222) neque Ritschelius (N. exc. 1, 63) quidquam mutant, nisi quod hic vir doctus *aurod* scripsit. Et profecto alia ratione hiatus ille expelli vix potest. A Goetzio et transponitur *onustam auro* et *alter* post *est* additur. 4. Capt. 5, 4, 27: *quasi per nebulam* | *Hegionem meum patrem vocarier*; Brixius cum Muellero *olim* interposuit; Fleckeisenus *nebulas* edidit, quamquam eadem vocabula *quasi per nebulam* in Pseudolo 1, 5, 47 sq. leguntur. 5. Men. 5, 7, 22: *eripe oculum* | *isti*, *ab umero qui tenet*, *ere*, *te obsecro*; dativus *istic* haud minorem dubitationem habet quam *illic* (v. supr. § 2); alterum accusativum *te* Ritschelius post *isti*, Camerarius ante *tenet* admiscebat. Sed in tradita scriptura ad verbum *tenet*, non ad *obsecro* pronomen *te* referendum est; atque hoc etiam magis perspicuum fit, si in hunc modum dimetimur: *qui tenet ére te* (*ted*), *óbsecro.* 6. Merc. 5, 1, 1: *limen superum* | *inferumque salve*, *simul autem vale*, ubi *superumque* Ritschelius restituebat. 7. Pers. 2, 3, 10: *nam hoc argentum* | *alibi abutar*: *boves, quos emerem*, *non erant*; *abutar alibi* Guyetus transposuit, Ritschelius *iam* inserere maluit. (8.) Pseud. 2, 3, 7: (*hic doli*, *hic fallaciae omnes*, *hic sunt sycophantiae*,) *Hic argentum*, | *hic amica amanti erili filio*; verbum substantivum facile auditur, neque ipse cum Camerario interiecerim. Eodem pertinere videtur: Trin. 4, 2, 43: *si ante lucem* | *ire occipias a meo primo nomine*; cum in Vetere libro post *ire* spatium sex litterarum sit, Ritschelius (Prol. Trin. p. 72) *hercle* interposuit; ego huic rei tantam vim non tribuerim, quoniam paulo infra (4, 2, 104 sq.) in eodem codice lacunarum spatia non servata vidimus. — Alia pedum dimensione tres hiatus exemeris: Epid. 1, 2, 18: *quem quidem ego hominem* | *inrigatum plagis pistori dabo*; Trin. 5, 2, 6: *nam beneficium* | *homini proprium quod datur*, *prosum perit*; fortasse Most. 5, 2, 3: *quoque modo hominem* | *ad* ⟨*venientem*⟩ *servos ludificatus sit*; quamquam in Trinummo ne Ritschelius quidem

beneficium in altera syllaba acuere voluit [1]), sed *homoni* formam restituebat. Neque hae dimensiones *égo hominem* et *módo hominem* placent: qua re voces *hercle* et *eum* a Muellero et Ritschelio adduntur, a Buggio aptissime *quoque modo dominum* ponitur. — In alia atque in secunda sede hiari potest Amph. 1, 1, 108: *neque ego huc hominem | hodie ad aedis has sinam umquam accedere*; Epid. 1, 2, 33: *hercle miserum est ingratum esse homini id quod facias bene*; nam in priore versu eodem iure *ego,* in altero *esse* non eliditur. — In medio relinquendi sunt non pauci versus; nam levi opera *uti* pro *ut* scribas: Amph. 1, 1, 304: *ibo ad portum | atque haec ut sunt facta*, *ero dicam meo*; Amph. 2, 1, 52: *ordinem omnem, | ut quicque actum est, dum apud hostis sedimus*; — *ordine omnem rem ut* Beckerus vult —; Mil. 2, 3, 64: *vin iam faciam | ut stultividum tu te fateare? — Age face*; sed cum in hoc versu *tu te* in Decurtato et Vaticano interciderit, in Vetere *ut* exhibeatur suprascripto *te*, Ussingius *te tute*, alii *ut* ⟨*te*⟩ *stultividum tute* receperunt. Non minus facile *illanc istunc illunc* posueris Amph. 2, 2, 36: *gravidam ego illam | hic reliqui* . . Capt. 2, 2, 101: *mitto equidem istum | aestumatum* . . Poen. 5, 5, 23: *iam hercle ego illum | excruciandum* .. Similiterque removeri possunt: Curc. 4, 4, 26: *tuom libertum | esse aiebat sese Summanum. — Meum?* ubi *sese aiebat esse* tam simpliciter quam apte Camerarius edidit; Men. 5, 9, 26: *sed uter vostrum | est advectus* . .; *vostrorum* Ritschelius emendavit (de quo v. Lor. ad Most. (ed. II) v. 280 c. adn. crit. et Uss. ad Amph. 4; cf. Langen. Symb. p. 132); sed sententiae maxime conveniens est quod Vahlenus restituit *vostrum est* ⟨*hodie*⟩ *advectus*; Merc. 5, 2, 40: *religionem | illic obiecit* . .; quod Ritschelius in adnotatione proposuerat *illic* ⟨*mi*⟩ *obiecit* ita probare possis, ut vocularum *illic mi* ordinem immutes; Mil. 5, 20: *si te salvom | hinc mittemus Venerium nepotulum;* ita in codicibus traditur; Priscianus amittendi verbum habet ut in v. 28 *ut te | hodie hinc amittamus Venerium nepotulum*; Pers. 2, 2, 39: *quid ais? certum | est celare* . .; *ne* interrogativum addunt quemadmodum in subsequenti versu (v. II § 2); et cf. Merc. 2, 3, 123. De Asinariae v. 1, 3, 53 supra c. II § 4 dictum est; nec non de Capt. 4, 2, 56: *quantum est hominum | optumorum* . . Coniectura probabili infertur hiatus — ut Stich. 2, 2, 20 praeteream —: Aul. 4, 9, 20: [*quid agam*] *abeam an maneam,* | [*an*] *adeam an fugiam. quid agam,* | *edepol nescio*; nam *an* particulam Acidalius recte delevit; hiatum autem distinctionis vi defendit Brixius [2]), alterum addito *ego* pronomine expulit. — Nonnulli versus in eum numerum adscribendi non sunt: Capt. 4, 2, 76: *quin ita faciam, ut* ⟨*tu*⟩ *te cupias facere sumptum*, *etsi ego votem*, in quo *tute* pro *te* reponi neces-

---

[1]) v. Opusc. II 719 et 720 adn.; neque ullo alio loco illa dimensio invenitur, nam Pers. 4, 7, 9 'ted' scribendum est: 'beneficium meum apud ted. — Immo equidem gratiam'.

[2]) cum post 'maneam' et 'fugiam' interrogationis signa ponit (Annal. 91 a. 1865 p. 57).

sarium paene est; Epid. 2, 2, 62: *hoc quod actum.* | *egomet*.. ubi solus Ambrosianus vere exhibet *actum est;* idemque cadit in duos locos: Mil. 3, 1, 92: *ubi ea possit inveniri* .. Pseud. 1, 3, 136: *num quid aliud etiam voltis dicere?* .. in quibus Palatini praebent *ubi eam possim* | *invenire* et *num quid alium* | *etiam* (de quo cf. Ritsch. N. exc. 1, 56 - et Geppert. Stud. II 57); Mil. 2, 5, 32: *hic sororem* | *esse audivi* .. sic Vetus; sed cum Decurtatus Vaticanus *inaudivi* tradant, recte restituitur *indaudivi* sicut 2, 2, 56 (v. supr. § 6); Pers. 4, 4, 43: *quid ita?* — *Quia enim* | *ex puella te prius percontari volo*; verba *ex puella te* hoc ordine male ex Rescripto adferuntur, ex ceteris melius *te ex puella* nullo hiatu; Stich. 2, 2, 26: *quid? illas itidem* | *esse censes*.. hiatum exhibent Palatini; sed cum in Ambrosiano scribatur *itidemne censes esse*, Ritschelius in textu posuit *itidemne esse censes.*

Post tertii trochaei thesim hiatus efficitur: 1. Bacch. 3, 3, 91: *serva tibi sodalem* | *et mihi filium.* -- *Factum volo*; Hermannus *et mi* ⟨*autem*⟩ *filium* ediderat eumque Ritschelius secutus est; eodem versus loco *una* interponi posse Ussingius adnotat. 2. Curc. 2, 3, 66: *'dedistin tu argentum?' inquam.* | *'Immo* | *apud tarpezitam situm est'*, de quo supr. cap. II § 1 dictum est. 3. Truc. 4, 2, 59: *alteram tonstricem* | *huius, alteram ancillam suam*; cum *huiusce* forma non sit Plautina (v. Schmidt. de pron. dem. p. 54 sq.), *Suram* vel *illam* vel *eccam* post *alteram* inicere solent. — In dubium vocari possunt: Poen. 1, 2, 178: *huius cor, huius studium,* | *huius savium, mastigia,* qui versus a Schmidtio (de pr. dem. p. 63 sq.) al. condemnatur, quod complura nomina iterata habet: hoc tamen non nimis certum mihi videtur; Men. 5, 5, 49 et Merc. 1, 2, 38, ubi *illunc* et *dexteram* facili opera inducas; Pers. 4, 3, 76: *nisi quia aspicio. equidem* | *edepol liberalist, quisquis est*; Ritschelius *et quidem* scripsit, neque in prima sententia *equidem* poni solet; ceterum cf. Uss. ad Amph. 757; Ribb. de part. Lat. Lips. 1869 p. 39 sq. — Aut *accersam* aut *si* non coniungitur (v. supr. cap. II § 2): Most. 5, 1, 42: *quid si igitur ego accersam homines?* ... Ritschelius immerito transposuit *quid igitur si*..; v. Lor. ad Most. (ed. II) 393; Uss. ad Aul. 48, Capt. 326; Kellerhoff, de colloc. verb. p. 72 sq. -- Eundem hiatum teste Ussingio Rescriptus exhibet in hoc versu: Bacch. 3, 5, 2: *Mnesilochum ut requiram* | *atque eum mecum ad te adducam simul*; sed ex Palatinis emendatur *atque ut eum.* Ex Ambrosiano corrigitur Poen. 1, 2, 149: *dum te expecto, neque ego usquam aliam* .. (ceteri *ego* omittunt); ex recentioribus libris Asin. 5, 2, 75: *abscede ergo paululum istuc* .. — *paulum* in Vetere et Vaticano extat —; ex Decurtato autem et Vaticano emendatur Poen. 3, 1, 35: *quidquid est pauxillulum illuc*.., ubi in Vetere est *pauxillum.*

Plura exempla in quinta septenarii sede inveniuntur: 1. Aul. 4, 9, 20: .. *quid agam,* | *edepol nescio,* quem versum modo adscripsimus. 2. Capt. 4, 2, 70: *scis bene esse, si sit unde.* — *Percam* | *atque ophthalmiam*; voc. *percam* pro *pernam* Brixius (in adn.

crit.) restituit, idemque hiatus causa *que* particulam adiungi voluit. 3. Men. 2, 3, 74: *hercle qui tu recte dicis: eadem* | *ignorabitur*; possunt multa interponi, velut *ea* vel *opera* vel *enim* vel *ita*: optimum est nihil addi. 4. Men. 5, 2, 34: *ecce autem litigium. quotiens tandem* | *edixi tibi*, ubi *ego* vel *id* inserunt — ut de Camerarii traiectione *edixi tandem* taceam. (5.) Merc. 3, 4, 62: (*quam capiam civitatem cogito* . .) *Sicyonem, Cnidum, Zacynthum, Lesbum* | *an Boeotiam*; Ritschelius *Lesbumne an* posuit, in libris traditur *lesbiam*. 6. Most. 5, 2, 14: *sed tu istuc quid confugisti in aram,* | *inscitissumus?* Spengelius (Plaut. p. 219) suo iure hiatum tuetur; neque apte *hanc* aut *hinc* inditur. 7. Pers. 2, 2, 59: *edictum est magnopere mihi, ne quoiquam* | *homini crederem*; Ritschelius effecit *mihi* ⟨*quoque*⟩ *edictumst magnopere, ne* . .: at in hoc sermone Paegnium et Sophoclidisca solent *par pari respondere dicto* (et cf. supr. p. 49). 8. Pers. 5, 2, 16: . . *cyatho* | *oculum* | *excutiam tuom*, de quo supra cap. II § 1 diximus. 9. Truc. 2, 7, 11: *quinque nummos mihi detraxi, partem* | *Herculaneam*; syllabarum hiatum, cum nomine proprio excusetur, Spengelius non commutat collato Stichi versu 1, 3, 80 (v. supr.). (10.) Truc. 4, 4, 33: *propter hunc spes etiamst hodie tactum* | *iri militem*; haec enim in codicum scriptura *tantumrimlitem* inesse Petitus intellexit. Schoellius igitur *probe* post *hodie*, Buechelerus (v. Schoell. praef. p. 47) *iterum* post *iri* inserere voluerunt. — In eodemque numero habeo: Capt. 4, 2, 99: *ut ego vidi.* — *Meum gnatum?* — *Tuom gnatum* | *et genium meum*; Merc. 1, 2, 75: *ubi eam vidit?* — *Intus intra navem,* | *ubi prope adstitit*; Stich. 4, 1, 32: *prius quam abis, praesente te huic apologum* | *agere unum volo*; nam in Captivis ne Bentleius quidem aut Fleckeisenus *tuúm gnatum ét* legerunt, sed *meumne* maluerunt reponere; in Mercatore Spengelius (Plaut. p. 221) *ubi* pro *ut* vere scripsit, idque in priore syllaba acuit; in Sticho *ted* in editione Ritschelius posuerat, in Novis excursibus versum silentio praeteriit. — Aliquid sane dubitationis movent hi versus: Aul. 4, 4, 22: *novi sycophantias. age, rursum* | *ostende huc manum,* ubi *rursus* Reizio, *age* ⟨*age*⟩ *rusum* Goetzio in opinionem venerunt; Capt. 3, 4, 98: *at ego te video maior maiorem.* | *em rursum tibi*; Bentleius Brixius verborum *maior maiorem* ordinem invertunt, ita ut et legitima incisio versui reddatur et nomina ex diverso collocentur; cf. supr. c. II § 2 ad Pers. 4, 4, 2. Curc. 2, 3, 28: . . *dextram.* | *ubi sunt* . . Goetzius *dexteram* ascivit, quod in codice Britannico exhibetur; Mil. 5, 16: . . *viduam* | *esse censui*; sed *eam* facillime intercidisse potest; Mil. 5, 24: *quid, si id non faxis?* — *Ut semper vivam* | *intestabilis*; sic cum Ambrosiano restituendum censeo; ceteri habent *ut vivam semper* . .; Most. 5, 1, 42: . . *factum* | *esse iam oportuit,* ubi si transponimus *iam esse*, numeri evadunt nitidiores; Poen. 3, 1, 58: *ubi is detulerit, tu eo quaesitum servom* | *advenies tuom*; *servolum* Geppertus scribendum proposuit; Poen. 5, 4, 34: .. *operam* | *ut placeant viris*; Poen. 5, 5, 10: .. *faciam* | *ut sit merulea*; in quibus editores *uti* voluerunt;

Truc. 2, 6, 29: *intra tot dies quidem hercle iam actum* | *aliquid oportuit,* in quo aut proceleusmaticus pes sextum locum tenet aut altera verbi *oportuit* syllaba corripitur. Vulgo cum Bothio transponitur *aliquid actum*, quod minime displicet. — Nonnullis locis in alia, non in quinta sede hiari potest; post sextum trochaeum in quattuor versibus: Capt. 3, 1, 21; Curc. 2, 3, 55; Truc. 2, 7, 65; v. sup. c. II § 2; Most. 5, 2, 6: *qui a patre eius conciliarem pacem. atque eccum optume*; in caesura autem legitima: Asin. 5, 2, 37: *censen tu illum hodie primum ire adsuetum esse in ganeum?* Asin. 5, 2, 86; Pseud. 2, 4, 61, de quibus vide supra c. II § 4 et 7. Vix adscribendus est Trin. 4, 3, 18; v. supra. — Detrahendi videntur tres versus: Stich. 1, 2, 27: . . *culpam in se admiserint*; in hac Ambrosiani lectione aut *culpam* non eliditur, aut *sed* pronuntiandum est; at recte ex Palatinis *sese* recipitur, quia alterum *se* facilius omissum quam additum est. Ex Rescripto emendatus est v. Pseud. 1, 2, 66: (*cras te, quasi Dircam olim* . .) *Devinxere ad taurum, item ego te distringam ad carnarium*; *id*; ceteri codices perperam: *item hodie stringam* | *ad* . .; et EGOTE pro HODIE, quod propter praecedens *cras* ferri non potest, iam Usenerus (Ind. schol. aest. Gryphisw. a. 1866 p. 6) coniectura assecutus erat. Tertius denique a Guyeto bene corrigitur: Merc. 5, 4, 16: *optume hercle*; *perge* ⟨*perge*⟩: *ego adsistam hinc altrinsecus*; nam *perge perge* vel *perge porro* eodem modo quo Men. 1, 2, 41 restituendum.

Ante extremum creticum haec habes in septenario: 1. Curc. 2, 3, 79: *talos arripio, invoco almam meam nutricem* | *Herculem*; sic Spengelius (Plaut. p. 215); alii varie versum tentaverunt: ut Fleckeisenus *mihi* post *meam* iniecit, Bothius *nutriculam,* Goetzius *nutriciam* introducebant, Muellerus ordinem immutari iussit. 2. Curc. 5, 2, 35: *nihil est, quod ille dicit. fac me certiorem,* | *obsecro*; interponitur *te* praeter Plauti consuetudinem; is enim pronomen fere non ponit, si *obsecro* precandi causa tamquam interiectio quaedam verbo finito adiungit (cf. supr. § 1). Qua de causa Ussingius versu 31 uti non debuit, utpote in quo sententia secundaria adnectatur: *te obsecro, ut* . . *facias.* 3. Epid. 2, 2, 86: *nunc occasiost faciundi, priusquam in urbem* | *advenit*; Acidalius *advenerit* substituerat idemque Goetzio probavit: sed praesens tempus apud Plautum legitimum esse Ussingius ostendit. 4. Mil. 4, 8, 16: *nam nihil miror, si lubenter, Philocomasium,* | *hic eras*; codicum scripturam Spengelius defendit (v. Plaut. p. 218); neque ⟨*tu*⟩ *hic* aut ⟨*cum*⟩ *hoc* aut *istic* scriptum fuisse nobis persuadetur. 5. Mil. 5, 7: *perii.* — *Haud etiam*; *numero hoc dicis. iamne in hominem* | *involo?* Ritschelius *ego* inserit, *iam nunc in* scribendum esse coniecit Ribbeckius. 6. Most. 2, 1, 30: *iube* ⟨*eum*⟩ *abire rursum*; *quid illi reditio etiam* | *huc fuit?* cum Camerario transponi solet *huc etiam.* 7. Pseud. 1, 3, 115: *i, gladium adfer.* — *Quid opus gladio?* — *Qui hunc occidam* | *atque me*; quamvis emendationem Ritschelius improbat, cum N. exc. 1, 64 ablativum *quid* inducit. Quod vero Ussingius in ultimo versu *atque enicem*

reposuit, iis refellitur quae Muellerus Pros. Pl. p. 746 disputavit. 8. Trin. 4, 2, 147: *abin hinc ab oculis?* — *Enimvero sero quoniam* | *advenis*; adv. *huc* iam Reizius addiderat; Geppertus *quandoquidem* posuerat quemadmodum in extremo versu 149: . . *salvos quando equidem advenis*: sed vide supra ad Men. 5, 1, 39. — Ad haec exempla duo accedere equidem puto: Stich. 5, 5, 5: *nimioque sibi mulier meretrix reperit odium* | *ocius Sua inmunditia, quam in perpetuom ut placeat munditia sua*; Mil. 5, 9: *quor es ausus subigitare alienam uxorem,* | *inpudens?* nam in hoc versu vix quisquam cum Ritschelio existimabit post *subigitare* hiari — de *voxorem* forma v. supr. § 1 —. In illo autem neque perfecto tempori *repperit*, quod ex libris adfertur, neque, nisi fallor, futuro *reperiet*, quod Goetzius edidit, locus est; immo praesens tempus Ritschelius recte restituit, non recte verba *mulier meretrix* seiunxit cum scriberet *mulier odium meretrix reperit ocius.* — Pauca sunt de quibus dubitetur: Pseud. 2, 1, 9: . . *meum atque vostrum* | *omnium*; Trin. 4, 2, 115: *mihin concrederet, ni me ille et ego illum nossem* | *adprobe?* Trin. 4, 3, 39: . . *id genus hominum* | *hominibus*; Truc. 2, 6, 66: . . *mox huc cubitum* | *ivero?* in hoc Truculenti versu *venero* pro *ivero* reponendum non puto, sed cum in Vetere sit *mox adhuc*, videndum est ne cum Camerario *mox ad* ⟨*te*⟩ *huc* scribendum sit (aliter Schoellius praef. 26). In Pseudolo *vostrorum* nullo negotio substituitur; cf. Men. 5, 9, 26. In Trinummi versu altero *genus* in posteriore syllaba acuere licet (cf. supr. Curc. 3, 12 et Men. 2, 1, 11); in altero autem hiatus, sive post *ego* sive post *nossem* sive in caesura post *ille* statuitur, dubitationem adferre debet, non quod censeam formas contractas *nosse nossem* in Plauti usu non fuisse[1]), sed quia *nossem* et *novissem* formarum, sicut *dixti* et *dixisti* (cf. supr. § 2) tam frequens in codicibus permutatio est eaque in utramque partem valens, ut ista vix ulla mutatio sit (Ritsch. Proleg. Trin. p. 188). — Quattuor septenarii eam ob causam ambigui sunt, quod alio loco hiatum efficere licitum est: Amph. 2, 2, 82 v. cap. II § 1; Most. 5, 2, 6: . . *pacem. atque eccum* | *optime*; in sententia finita haud minus recte *pacem* integrum manet; v. paulo supra; Amph. 5, 1, 34: *Amphitruo. piam et pudicam tuam esse uxorem ut scias*; vocem *tuam* in arsi cum hiatu corripere legitimum est; v. Speng. Plaut. p. 205. De Trin. 4, 3, 18 v. supra. — Si Decurtato Vaticano auctoribus uteremur, hiatum haberemus Men. 5, 9, 90: . . *frater, faciam,* | *ut voles*; sed cum in Vetere tradatur *ut tu voles*, hoc in textum recipiemus. Neque aliter Palatini omnes praebent: Stich. 2, 2, 39: *tum tu igitur, qua causa missus es ad portum,* | *expedi*; solus Ambrosianus *portum, id expedi.*

---

[1]) id quod Fleckeisenus (Annal. 95 a. 1867 p. 632 adn. 8) statuit; sed v. Asin. 2, 2, 81 (. . eúm se [se] non nosse hóminem qui siet); Epid. 4, 2, 29 (quid si servo aliter visum esset, non poteras nosse, obsecro?) al. Ritschelius vero (ad Trin. 952 ed. II) etiam de 'noris' al. dubitat, immerito: v. Mueller. Pros. Pl. p. 475 adn. et Suppl. pros. p. 69.

Reliquum est ut septenarios iambicos, octonarios, dimetros perpendamus. In septenariis igitur vocalium concursus exhibetur: 1. Asin. 2, 4, 67: *flagitium* | *hominis, da opsecro argentum huic, ne male loquatur*, de quo supra dictum est. 2. Asin. 3, 3, 108: *ne istuc nequiquam dixeris tam indignum dictum* | *in me*; verba *in me* post *dixeris* transtulit Bothius. 3. Asin. 3, 3, 110: *tene ego veham?* — *Tune hoc feras argentum* | *aliter a me?* plerique *hinc* intericiunt. — Eodem spectat, nisi pro *ut* mavis *uti*: Capt. 3, 2, 14: *ut quod me oravisti inpetres, eum hominem* | *ut convenias*. Melius huic loco adnumerantur: Asin. 3, 3, 43: . . *me ad mortem* | *adpulerunt*; Curc. 4, 2, 37: *nam et operam* | *et pecuniam* . . Pers. 2, 5, 18: *enim metuo ut possim* | *in* . ., quamquam in versu primo *me* (v. supr. cap. I § 1), in secundo *nam* (v. cap. I § 7), in tertio *metuo* (v. tamen c. II § 1 ext.) vocales ultimas retinere possunt. — Omittendi erant tres versus: Epid. 3, 2, 19: *inveni; nam ita suasi seni* . ., ubi *inveni nam* egregie scribitur pro eo quod in libris est *inveniam*; Mil. 2, 4, 52: *dudum edepol planum est id quidem* . . Truc. 1, 2, 34: *nimis otiosum te arbitror hominem esse* . .; sic in Rescripto bene exhibetur; Palatini praebent *planum* | *hic* et *otiosum* | *arbitror*.

Porro in octonario trochaico haec inveniuntur: 1. Amph. 2, 1, 28: *domi ego sum, inquam* | — *ecquid audis?* — *et apud te adsum Sosia idem*; alterum *domi* alius alio loco inserunt. 2. Pseud. 1, 2, 43: *quam libertam fore mihi credam et quam venalem,* | *hodie experiar*; Ritschelius olim *ego* addiderat, postea (N. exc. 1, 90) *hodied* voluit. Trin. 4, 1, 15: *bonaque omnia item* | *una mecum passim caeruleos per campos*; editores transponere maluerunt *item omnia* quam *itidem* scribere.

Atque ut octonarios iambicos adiciam, m littera non eliditur his locis: 1. Bacch. 4, 9, 63: *nunc superum limen scinditur, nunc adest exitium* | *Ilio*; qui ponunt *nunc* ⟨*prope*⟩ *adest exitium Ilio*, dactylicam vocem inferunt. 2. Epid. 1, 1, 24: *quem dices digniorem esse hominem* | *hodie Athenis alterum?* Goetzius *hoc* interiecit; Ambrosianus vero duos hiatus, alterum pravum, praebet *digniorem* | *esse* | *hodie*. (3.) Bacch. 4, 9, 15: *Bacchidem habet secum; ille olim* | *habuit ignem, qui signum daret*; in quo versu post *secum* hiatus non placet; Pylades per *ut* particulam, quam post *olim* indidit, enuntiata inter se conexuit. — Incerti sumus utrum *domi* cum Lachmanno (ad Lucr. III 954 p. 200) an *eccam* an *nullam* non coniungamus Pers. 2, 2, 44: *ubi illa altera est furtifica laeva?* — *Domi eccam: huc nullam attuli*.

In dimetro iambico pauca extant: 1. Men. 4, 2, 34: *ubi primum est licitum,* | *ilico*; vulgo cum Guyeto transponitur *licitum est*; cf. tamen Vahlen. Herm. 17 p. 617 sq. 2. Merc. 1, 2, 25: (*periimus.* —) *Principium* | *inimicis dato*; Lachmannus *id* inseruit; Spengelius (de emend. metr. p. 376) dimetrum trochaicum minus bene descripsit.

Dimetrum trochaicum, sicut tres versus sequentes, esse censeo

reposuit, iis refellitur quae Muellerus Pros. Pl. p. 746 disputavit. 8. Trin. 4, 2, 147: *abin hinc ab oculis?* — *Enimvero sero quoniam* | *advenis*; adv. *huc* iam Reizius addiderat; Geppertus *quandoquidem* posuerat quemadmodum in extremo versu 149: . . *salvos quando equidem advenis*: sed vide supra ad Men. 5, 1, 39. — Ad haec exempla duo accedere equidem puto: Stich. 5, 5, 5: *nimioque sibi mulier meretrix reperit odium* | *ocius Sua inmunditia, quam in perpetuom ut placeat munditia sua*; Mil. 5, 9: *quor es ausus subigitare alienam uxorem,* | *inpudens?* nam in hoc versu vix quisquam cum Ritschelio existimabit post *subigitare* hiari — de *voxorem* forma v. supr. § 1 —. In illo autem neque perfecto tempori *repperit*, quod ex libris adfertur, neque, nisi fallor, futuro *reperiet*, quod Goetzius edidit, locus est; immo praesens tempus Ritschelius recte restituit, non recte verba *mulier meretrix* seiunxit cum scriberet *mulier odium meretrix reperit ocius.* — Pauca sunt de quibus dubitetur: Pseud. 2, 1, 9: . . *meum atque vostrum* | *omnium*; Trin. 4, 2, 115: *mihin concrederet, ni me ille et ego illum nossem* | *adprobe?* Trin. 4, 3, 39: . . *id genus hominum* | *hominibus*; Truc. 2, 6, 66: . . *mox huc cubitum* | *ivero?* in hoc Truculenti versu *venero* pro *inero* reponendum non puto, sed cum in Vetere sit *mox adhuc*, videndum est ne cum Camerario *mox ad* ⟨*te*⟩ *huc* scribendum sit (aliter Schoellius praef. 26). In Pseudolo *vostrorum* nullo negotio substituitur; cf. Men. 5, 9, 26. In Trinummi versu altero *genus* in posteriore syllaba acuere licet (cf. supr. Curc. 3, 12 et Men. 2, 1, 11); in altero autem hiatus, sive post *ego* sive post *nossem* sive in caesura post *ille* statuitur, dubitationem adferre debet, non quod censeam formas contractas *nosse nossem* in Plauti usu non fuisse[1]), sed quia *nossem* et *novissem* formarum, sicut *dixti* et *dixisti* (cf. supr. § 2) tam frequens in codicibus permutatio est eaque in utramque partem valens, ut ista vix ulla mutatio sit (Ritsch. Proleg. Trin. p. 188). — Quattuor septenarii eam ob causam ambigui sunt, quod alio loco hiatum efficere licitum est: Amph. 2, 2, 82 v. cap. II § 1; Most. 5, 2, 6: . . *pacem. atque eccum* | *optime*; in sententia finita haud minus recte *pacem* integrum manet; v. paulo supra; Amph. 5, 1, 34: *Amphitruo. piam et pudicam tuam esse uxorem ut scias*; vocem *tuam* in arsi cum hiatu corripere legitimum est; v. Speng. Plaut. p. 205. De Trin. 4, 3, 18 v. supra. — Si Decurtato Vaticano auctoribus uteremur, hiatum haberemus Men. 5, 9, 90: . . *frater, faciam,* | *ut voles*; sed cum in Vetere tradatur *ut tu voles*, hoc in textum recipiemus. Neque aliter Palatini omnes praebent: Stich. 2, 2, 39: *tum tu igitur, qua causa missus es ad portum,* | *expedi*; solus Ambrosianus *portum, id expedi.*

---

[1]) id quod Fleckeisenus (Annal. 95 a. 1867 p. 632 adn. 8) statuit; sed v. Asin. 2, 2, 81 (. . eúm se [se] non nosse hóminem qui siet); Epid. 4, 2, 29 (quid si servo aliter visum esset, non poteras nosse, obsecro?) al. Ritschelius vero (ad Trin. 952 ed. II) etiam de 'noris' al. dubitat, immerito: v. Mueller. Pros. Pl. p. 475 adn. et Suppl. pros. p. 69.

Reliquum est ut septenarios iambicos, octonarios, dimetros perpendamus. In septenariis igitur vocalium concursus exhibetur: 1. Asin. 2, 4, 67: *flagitium | hominis, da opsecro argentum huic, ne male loquatur*, de quo supra dictum est. 2. Asin. 3, 3, 108: *ne istuc nequiquam dixeris tam indignum dictum | in me*; verba *in me* post *dixeris* transtulit Bothius. 3. Asin. 3, 3, 110: *tene ego veham? — Tune hoc feras argentum | aliter a me?* plerique *hinc* intericiunt. — Eodem spectat, nisi pro *ut* mavis *uti*: Capt. 3, 2, 14: *ut quod me oravisti inpetres, eum hominem | ut convenias.* Melius huic loco adnumerantur: Asin. 3, 3, 43: . . *me ad mortem | adpulerunt*; Curc. 4, 2, 37: *nam et operam | et pecuniam* . . Pers. 2, 5, 18: *enim metuo ut possim | in* . ., quamquam in versu primo *me* (v. supr. cap. I § 1), in secundo *nam* (v. cap. I § 7), in tertio *metuo* (v. tamen c. II § 1 ext.) vocales ultimas retinere possunt. — Omittendi erant tres versus: Epid. 3, 2, 19: *inveni; nam ita suasi seni* . ., ubi *inveni nam* egregie scribitur pro eo quod in libris est *inveniam*; Mil. 2, 4, 52: *dudum edepol planum est id quidem* . . Truc. 1, 2, 34: *nimis otiosum te arbitror hominem esse* . .; sic in Rescripto bene exhibetur; Palatini praebent *planum | hic* et *otiosum | arbitror.*

Porro in octonario trochaico haec inveniuntur: 1. Amph. 2, 1, 28: *domi ego sum, inquam | — ecquid audis? — et apud te adsum Sosia idem*; alterum *domi* alius alio loco inserunt. 2. Pseud. 1, 2, 43: *quam libertam fore mihi credam et quam venalem, | hodie experiar*; Ritschelius olim *ego* addiderat, postea (N. exc. 1, 90) *hodied* voluit. Trin. 4, 1, 15: *bonaque omnia item | una mecum passim caeruleos per campos*; editores transponere maluerunt *item omnia* quam *itidem* scribere.

Atque ut octonarios iambicos adiciam, m littera non eliditur his locis: 1. Bacch. 4, 9, 63: *nunc superum limen scinditur, nunc adest exitium | Ilio*; qui ponunt *nunc* ⟨*prope*⟩ *adest exitium Ilio*, dactylicam vocem inferunt. 2. Epid. 1, 1, 24: *quem dices digniorem esse hominem | hodie Athenis alterum?* Goetzius *hoc* interiecit; Ambrosianus vero duos hiatus, alterum pravum, praebet *digniorem | esse | hodie.* (3.) Bacch. 4, 9, 15: *Bacchidem habet secum; ille olim | habuit ignem, qui signum daret*; in quo versu post *secum* hiatus non placet; Pylades per *ut* particulam, quam post *olim* indidit, enuntiata inter se conexuit. — Incerti sumus utrum *domi* cum Lachmanno (ad Lucr. III 954 p. 200) an *eccam* an *nullam* non coniungamus Pers. 2, 2, 44: *ubi illa altera est furtifica laeva? — Domi eccam: huc nullam attuli.*

In dimetro iambico pauca extant: 1. Men. 4, 2, 34: *ubi primum est licitum, | ilico*; vulgo cum Guyeto transponitur *licitum est*; cf. tamen Vahlen. Herm. 17 p. 617 sq. 2. Merc. 1, 2, 25: (*perii- mus.* —) *Principium | inimicis dato*; Lachmannus *id* inseruit; Spengelius (de emend. metr. p. 376) dimetrum trochaicum minus bene descripsit.

Dimetrum trochaicum, sicut tres versus sequentes, esse censeo

Epid. 1, 1, 87: *nequam* | *homo* | *es, Epidice*; Spengelius atque editores pro dimetro cretico accipiunt. Et versus a 79 ad 86 compositi sunt ex dimetris creticis et septenariis trochaicis qui alternis vicibus sese excipiunt. Sed cum dimetros praemitti in aperto sit (v. Speng. Plaut. 165 sq.), a versu 87 trochaicos dimetros incipere mihi persuasum est.

Atque haec sunt exempla ex septendecim Plauti fabulis collata, ubi polysyllabae voces longa vocali vel m littera finitae in thesi ita vocalibus excipiantur, ut vocalem extremam retineant. Eorum igitur multa incisione legitima aut persona mutata defendi posse supra diximus: sed quid cetera? emendenturne ut corrupta necesse est, quemadmodum ab Ritschelio aliisque criticis emendabantur? Mihi quidem — praeterquam quod saepissime corrumpuntur versus, non corriguntur — non modo non probabile, verum etiam perversum videtur tam infinitos et tam pares eiusdem generis locos nullam aliam ob causam commutare velle, quam quod vocalium concursum praebent. Atque satis multos versus ita comparatos esse ostendimus, ut hiatus expellere nisi cum magno orationis detrimento omnino non liceat. Accedit etiam, quod in corrigendis singulis exemplis alius criticus aliud coniectura assecutus est; quin ipse Ritschelius saepenumero unum eundemque locum variis modis scribi posse plane confitetur. Atque hac potissimum re fieri debet, ut traditam scripturam immutare valde dubitemus: nam quid iuvat aut quid prodest scire quibus rationibus versus potuerint a poeta componi? Immo quo magis licitum est varie formare, eo magis librorum memoriae habebimus rationem consideratiusque in reiciendo iudicabimus.

Et idem hoc Ritschelius anno h. s. LXVIIII intellexerat, cum in Novis excursibus Plautinis p. 120 sq. hoc fere diceret, pravum esse minimeque ferendum posthac eodem modo quo ante artem criticam in Plauti fabulis exerceri. Hac igitur de causa ille vir doctus in tollendo hiatu eam viam ingressus est, ut obsoletas vocabulorum formas in fabulas Plautinas introduceret: et saepe tali ratione hiatum specie quidem valde probabiliter exemit. Huc spectant — ut *homonis homonem homones*, *cubi cunde*, *hocedie*, *simitur*, *illic* dativum, nominativos *alternas vergilias* al. omittamus, quas formas maximam habere dubitationem supra demonstravimus — omnes illae formae, quas addito d restituit aut sibi finxit. Nam certis librorum scriptorum testimoniis id tantum constat, Plautum *med ted* et ablativos et accusativos dixisse (v. supra cap. I § 1). Quod autem Ritschelius nominum substantivorum et adiectivorum ablativis d adiungebat, ea testimonia quae ex ipso Plauto adfert, *aetated* et *dictod* (N. exc. 1, 59 sq.), a coniecturis profecta atque quam maxime dubia, ne dicam falsa sunt[1]); sed cum apud Naevium legatur *Troiad* et in inscriptionibus eiusdem aetatis non numquam

---

[1]) v. Bergk. Symb. ad gramm. L. I 64 sq., 67 sq.; Muell. Suppl. pros. p. 74 sq.

illud d servetur, fieri potuit — hoc sane concedendum est —, ut ablativi in d litteram cadentes in Plauti usu fuerint. Quamquam una res vehementer repugnare mihi videtur: quod illa litterae d vis adeo non perspecta est illis temporibus, ut formis *med ted* tam accusativis quam ablativis sine ullo discrimine uterentur[1]). Iam vero Ritschelius cum omnibus vocibus, quibus cum ablativis similitudo sit, in his *pondo intro hodie interea propterea argute* al., illud d adscribi iubet, in ea re finem et modum transiit (cf. Bergkii caput XI p. 72 sq.); nam quod ex Ennio adfertur *alted* O. Muellerus finxit, non Ennius[2]).

Sed ut omnes illae formae iusto iure Plauto attribuantur, quid ex hac Ritschelii coniectura — nam quid aliud est? — emolumenti ad nos venit? licetne cunctos quos supra enumeravimus hiatus ita eximere? — Minime gentium; nihil loci est illi d in nominibus et verbis in i vocalem excidentibus, nihil in prima verborum persona in o, nihil in imperativis in a et e, nihil post diphthongos, nihil in vocibus *octo triginta* aliisque, nihil denique in sexcentis vocabulis, quae in m consonam cadunt; atque interdum ille vir doctus ne ibi quidem d reposuit, ubi repositurum eum fuisse putares. Ea autem opinio, quae exemplorum partem longe maximam non tollit, minime apta est ad fidem faciendam.

Quae cum ita sint, aliam viam ingredi non dubito. Atque proficiscendum mihi videtur ab huius modi locis: *prandi, potavi, scortum accubui,* | *abstuli* (Men. 3, 2, 11) vel *videre, amplecti,* | *ausculari,* | *adloqui* (Merc. 4, 4, 5) aliisve, quos Spengelius Plaut. p. 221 collegit. Haec enim exempla eius generis sunt, ut quavis mutatione non possint non depravari. Quod si verum est, qua ratione concursum vocalium tuebimur? Spengelius ille quidem in enumerando aliquid morae interponi contendit, qua hiatus defendatur. Sed aliter rem se habere discimus ex Trinummi versu 2, 1, 36: *boni sibi haec expetunt, rem fidem* | *honorem,* qui versus meo iudicio — et conferas Speng. Plaut. p. 232 — pro cretico tetrametro catalectico accipiendus est. Ut igitur hic de intervallo post *fidem* facto cogitari non potest, ita ne illos quidem hiatus respiratione quadam tueri velim. Qualem autem habeant excusationem, ostendunt Mostellariae versus 1, 2, 73 sq.: .. *arte gymnastica, Disco,* | *hastis, pila, cursu,* | *armis, equo,* .. *victitabam volup.* Nam cum Plautus longe plurimos tetrametros creticos, ex veris pedibus creticis composuerit[3]), non cum Ritschelio d adiciendum esse statuemus, ita ut duo in uno versu

---

[1]) sic Bouterwek, Lucret. quaest. gr. et crit. p. 30.

[2]) Enn. Ann. v. 366 libri scripti exhibent: 'alte delata ceterisque ingentibus tecta'. Muellerus ille quidem scribi iubet: 'alted elata petrisque ingentibus tecta'; sed utut de extremo versu iudicamus, hoc quidem certissimum est, verba 'alte delata' nullo modo tentanda.

[3]) sodalis H. Freund animadvertit ex CCXXXX tetrametris acatalectis ad quinquaginta versus unum pedem molossum vel choriambum, non plus quindecim duos molossos vel choriambos habere; in ceteris omnibus brevem cretici syllabam ubique servatam esse.

molossi ponantur, sed ultimam vocabulorum *disco* et *cursu* vocalem ante subsequentem vocalem correptam esse. Eodemque modo non solum ea exempla quae Spengelius intermissa oratione tueri voluit, verum etiam omnia quae supra congessi pollysyllaba vocalem extremam cum hiatu correptam habent.

Haud ignoro Spengelium alios disertis verbis negavisse Plautum in thesi admisisse correptiones, nisi ad monosyllabas voces pertinerent (v. supra cap. II). Sed haec velim attendantur: Ritschelius omnes fere eius modi correptiones damnavit, eas tantummodo excepit quae in priore anapaesti pedis thesi fierent; Fleckeisenus Spengelius alii traditis exemplis coacti id concesserunt, monosyllaba in cuiusvis metri thesibus corripi potuisse: quid de polysyllabis, quorum exempla etiam plura leguntur? quidni eadem excusatione utamur? — Sed vide Spengelii rationem qua rem tractavit. Is igitur vir doctus in enumerando concursum vocalium accidere potuisse non negat, id quod paulo supra commemoravimus. Deinde nomina propria, verbi causa *Dianae* | *Ephesiae*, hiatum facile recipere disserit p. 214 sq., idque ita disserit, ut ultimam horum nominum vocalem dilucide tamquam correptam significet. Porro p. 232 sq., ubi polysyllaba correpta impugnat, eos hiatus seiungit, qui post quintam iambici senarii thesim h. e. ante extremum creticum incidunt, atque aliis libelli locis (v. p. 221 et 238) huius hiatus ut legitimi mentionem facit: nec tamen correptionem excusat, sed moram quae in hac versus sede intercedat. Hoc autem non potest non reprehendi[1]. Nam primum mirum est sextum septenarii trochaici pedem, post quem non rarius hiatus invenitur, Spengelium neglexisse; deinde tum demum concedi posse crederem, si exempla eius generis essent, ut una et eadem vox creticum expleret — id quod ita non est; denique hoc praecipue obstat, quod in aliis versuum sedibus prorsus eundem post longas vocales hiatum habemus. Quae cum ita sint, illa opinio mea confirmatur, qua contendo in omnibus thesibus longas vocales, sive monosyllabam sive polysyllabam vocem finiunt, ante insequentem vocalem a Plauto correptas esse.

Et quae causa potest adferri, ob quam putemus Plautum ab ea correptione abhorruisse, quam Naevius Ennius admiserunt, quam posteriores poetae dactylici omnes, quam ipse Horatius non contempsit?[2])

Hic quaerat quispiam: Quid? breves vocales nonne eodem modo quo longae cum hiatu in thesi positae sunt, ita ut tua de correptione coniectura stare non possit? Fateor interdum in libris scriptis id peccatum esse, quod post brevem syllabam hiatus exhibetur; verum tamen tantum abest, ut haec tam pauca exempla nostrae opinioni repugnent: etiam maxime ei praesidio sunt. Sed quo magis hoc intellegatur, exempla tradita abscribi necesse est.

---

[1]) De caesura seminovenaria cogitari nullo pacto posse supr. c. II § 1 adnotavimus.

[2]) v. huius disput. prooem.

Atque ut hic quoque singulos versuum pedes persequamur, post secundam senarii iambici thesim non amplius duo eius modi hiatus ex codicibus adferuntur: 1. Aul. 3, 6, 10: *plus plusque* | *istuc sospitent, quod nunc habes*; 2. Bacch. 2, 3, 81: *sed nihilne* | *adtulistis inde auri domum?* at in hoc Bacchidum versu addiderim *ad me*, quae verba ante *adtulistis* facillime omitti potuerunt a librariis (de copia dicendi cf. Merc. 2, 1, 20; 3, 2, 12 al.). In altero *tibi* interponi solet; et aliquid excidisse eo magis nobis persuadetur, quod versus superior in eadem fere sede defectum praebet. — Alii versus manifesto vitiosi sunt: Curc. 3, 76: *Libyamque* | *oram* | *omnem Contenebroniam*; Capt. 3, 5, 20: *facta esse* | *ita,* | *ut dicis, et fallaciis;* nam in priore *et* vel *atque* deesse non potest; in posteriore pravi hiatus ab antiquis editoribus tolluntur, qui *ut* ⟨*tu*⟩ *dicis* posuerunt. Iam tribus locis *illic sit quoniam* (h. e. *qm̄*) pro *ille*, *est, quom* (h. e. *qm*) tam facile restituuntur, ut versus nullo numero putentur: Bacch. 4, 8, 72: *lippi ille* | *oculi servos est simillumus*; Merc. 4, 2, 1: *parumne* | *est malae rei, quod amat Demipho*; Stich. 3, 2, 8: *quom strena* | *obscaevavit, spectatum hoc mihist.* Duos hiatus Ambrosianus liber removet, cum haec habet: Men. 2, 2, 27: *neque hercle ego habeo* . . Most. 3, 2, 82: *nec mihi umbrast usquam* [*est*], *nisi* . . ubi Palatini *hercle* | *habeo* et *umbra* | *usquamst* produnt. — Vere autem adferuntur hi hiatus: Aul. 2, 8, 22: *perii hercle!* | *aurum* . . Men. 2, 2, 41: *heu* | *hercle* | *hominem* . . Men. 3, 2, 6 v. supra cap. I § 2); Pers. 1, 3, 60: *numquam hercle* | *hodie hic* . . Stich. 3, 2, 12: *Epignome,* | *ut ego te nunc conspicio lubens*; nam interiectiones saepenumero cum sequenti vocali non coniungi satis constat, neque post appellationem hiatus offendit; v. Speng. Plaut. 218; cf. supr. c. II § 2 al.; Lorenz. ad Most. (ed. II) v. 886. — Hunc in numerum reponendi omnino non sunt: Capt. 2, 3, 9: *ad te atque illum*; *pro rota me uti licet,* in quo *ted* scribendum, nisi forte mavis *atque* ⟨*ad*⟩ *illum*; Bacch. 4, 1, 7: *recede hinc dierecte. ut pulsat propudium!* ubi *dierecte* vox quattuor syllabarum est, quemadmodum Men. 2, 3, 87 et fortasse aliis locis (v. infr.).

Porro in quarto iambo hiatur in libris scriptis: 1. Aul. 1, 2, 33: *nam non est veri simile* | *hominem pauperem*; 2. Curc. 3, 19: *quis hic est, qui operto capite* | *Aesculapium;* transponendo numeros sanant, cum in altero senario *nam veri simile non est* . . restituunt, in altero *qui* post *capite* aut post *operto* transferunt. Muellerus tamen recte monet in Curculione non modo *capite operto* sicut 2, 3, 9 et Amph. 5, 1, 42, sed etiam *operto capitulo* ut 2, 3, 14 posse reponi. — Corruptus est versus Aul. 3, 6, 29: *quin exta inspicere in sole* | *e vivo licet,* ubi *etiam* aut *vel* pro *e* scribendum est. Nihil comprobatur his locis: Asin. 4, 1, 40: *post si lucerna extincta* | *est, nequid sui*; Mil. 4, 9, 9: *te volt, te quaerit teque* | *exspectans petit*; Pers. 4, 6, 3: *cruminam hanc emere, aut facere* | *ut remigret domum;* Pers. 4, 6, 14: *eum ego ut requiram* | *atque* | *ut redimam volo*; Trin. 1, 2, 75: *quoniam hinc iturust ipse* | *in Seleu-*

ciam; nam primo loco coniunctivus modus *sit* cum editione principe asciscendus est. Secundo verbum *petit*, quod Decurtatus et Vaticanus exhibent, in Vetere ita demum intercidisse potest post *expectans*, si a primo scriptum fuit *expetit* (de quo mendo v. supr. II § 2 ad Ep. 3, 2, 25). Tertio *uti* Bothius reposuit. De quarto supra c. II § 7 diximus. Quinto autem non tam *iturus est ipse* quam *iturust ipsus* emendandum est, quam formam cum alibi tum 4, 3, 63 solus Rescriptus servavit; eamque Plauti aetate usitatissimam fuisse versu 4, 2, 146 demonstratur. — Ex ipsis codicibus corrigere licet: Trin. 2, 4, 85: . . *tute* | *ut sis optumus*; nam *uti* in Ambrosiano recte traditur; eodemque duce emendatur Palatinorum scriptura Trin. 1, 2, 8: *tui benevolentis, si* | *ita* | *es ut ego volo*; ille enim liber *si* praetermisit, *te* post *ego* inseruit. Ex contrario idem Rescriptus hiulcos versus adfert duos: Trin. 2, 4, 17; v. cap. II § 7; Trin. 2, 4, 134: *alii exolatum abiere,* | *alii emortui*; sed non modo Palatini sed etiam Nonius *abierunt* memoriae produnt. — Nulla mutatione opus est Bacch. 4, 8, 61: . . *hercle* | *in malam crucem*; Pseud. 1, 5, 93: . . *hercle* | *argentum dabis;* Poen. 5, 5, 30 (v. sup. cap. I § 2); Curc. 1, 1, 46: *eam volt meretricem facere.* | *ea me deperit,* de quo versu v. Speng. Plaut. 222. Vix memoria dignus est Mil. gl. 4, 3, 37, ubi ne libri quidem hiatum exhibent, aut Amph. 3, 2, 30: *quam postquam audivi te esse iratam mihi,* in quo Ritschelius (N. exc. 1, 35) *ted* legi vult.

Deinceps in quinta sede habes: 1. Most. 3, 1, 100: *id volo mihi dici,* | *id me scire* | *expeto,* ubi facillimum est *ex te* ante *expeto* addere; v. cap. II § 2 init. — Haud minus facile eximuntur: Bacch. 4, 8, 11: . . *nupta est illa,* | *obsecro?* Merc. 1, 1, 64: *fuisse*; *adeo arte cohibitum esse* | *a patre;* Most. 3, 1, 152: *bonum aequomque oras. percontare* | *et roga*; nam *illaec* et *sese* vel *esse* ⟨*se*⟩ vel ⟨*se*⟩ *esse* et *oras* ⟨*i*⟩ *percontare* nullo negotio restituuntur. — Falso exhibetur v. Men. 5, 4, 8: *quin suspirabo plus sescenta* | *in dies*; in quo *sexcentos* scribendum esse Camerarius vidit; ceterum conf. Vahl. adn. Tribus locis Palatini illi quidem hiatum praebent: Epid. 3, 4, 54; v. c. II § 3; Poen. 5, 6, 14: . . *sume* | *hinc quidem*; Pseud. 1, 1, 37: *repente exortus sum, repente* | *occidi*; sed Ambrosianus *quidlubet* pro *quidem* (cf. versus 15 et 16) adfert, in ultimo una cum Decurtato Vaticano *repentino* servavit. — Detrahendi sunt de hoc numero: Men. 3, 2, 53: *uxori rem omnem iam ut sit gesta eloquar*, in quo *iam* arsim explere potest quemadmodum 2, 3, 54; cf. infr. Sent. controv. I et Vahl. Herm. 17 p. 621 adn.; Poen. 5, 7, 11, qui versus Plauti non est.

Haec in senario; percenseamus nunc septenarios trochaicos, qui quidem in thesi breves syllabas cum hiatu positas exhibeant. In primo igitur trochaeo unum eius generis exemplum repperi: 1. Most. 2, 1, 35: *ecce* | *autem* . . Ritschelius *eccere* edidit coniectura valde probabili; nam *eccere autem* etiam Mil. 2, 2, 52 et Pers. 2, 4, 29

scriptum videmus[1]). — In Milite glorioso vero particula quae praecedenti enuntiato versum adnectat, necessario requiritur: Mil. 4, 8, 17: (*nihil miror, si lubenter* . . *hic eras*,) *Forma* | *huius, mores, virtus animum attinuere hic tuom, Quom ego servos* . . *lacrumem* . ., sive *formaque huius* cum Ussingio sive cum Buggio ⟨*Si*⟩ *forma huius* asciscere vis; in libris *formā* traditur. Neque Ambrosianum codicem probabimus cum praebet Trin. 2, 2, 97: *egone* | *indotatam uxorem ut patiar?* . . immo cum in Palatinis sit *ego* | *indotatam te uxorem* . ., sine dubio scribendum est *egone indotatam te uxorem*; cf. sup. c. I § 1 ad Poen. 1, 2, 167. In Persa vero libri Decurtatus Vaticanus una cum Rescripto vere produnt Pers. 4, 4, 32: *esne tu huic* . ., solus Vetus *esne* | *huic tu amicus* . . — Quae praeterea leguntur, recte se habent: Merc. 2, 3, 99, de quo supr. c. I § 2 dictum est; Mil. 3, 1, 181: *fuisse aeque neque futurum* . . ubi prima verbi *fuisse* syllaba producitur; cf. Muell. Suppl. pros. 84 adn. Poen. 4, 2, 24: *qui hercle* | *ipsus ignaviorem* . ., nisi forte cum editoribus transponere mavis *qui ipsus hercle* . .

In secundo pede invenitur: 1. Epid. 5, 1, 25: *age age, absolve* | *atque argentum numera, ne comites morer*; at tamen accusativus *me* abesse vix potest. — Levi opera hiatus expelluntur hi: Men. 5, 2, 70: *nisi quo nocte* | *hac migrasti* . . Mil. 4, 1, 15: *quid ea? ingenua* | *an festuca facta* ⟨*e*⟩ *serva liberast?* Truc. 2, 6, 51: *suae fuere* | *ambae* . .; in Menaechmis verbum iunctum *emigrasti*, sicut in proximo versu, desideratur; in Milite *ingenuan an* iam Acidalio placuerat; in Truculento *fuerunt* a Bothio repositum est; cf. Trin. 2, 4, 134. — Alia exempla ex libris scriptis emendata sunt; ex Ambrosiano Mil. 4, 4, 49: *ut, si itura siet Athenas* . ., ubi Vetus habet *itura* | *est*. Ex Vetere restituitur Merc. 1, 2, 88: *occucurri atque interpello* . ., ubi *occurri atque* | *interpello* Decurtatus Vaticanus adferunt. — Neque vero quidquam mutandum est: Asin. 2, 2, 85 et Curc. 2, 3, 58, in quibus *med* pronuntiandum est (v. Ritsch. N. exc. 1, 35 et 36); Aul. 2, 3, 7, de quo cf. supr. p. 18. Idemque cadit in hos versus: Asin. 2, 2, 9: *mea quidem hercle* | *opera liber* . . Merc. 5, 4, 19 (v. supr. cap. I § 9); Poen. 3, 1, 63: *vix quidem hercle,* | *ita pauxilla est* . . Most. 5, 2, 46: *interimam hercle ego, si vivo* . . Mil. 2, 3, 14: *edepol, Sceledre, homo sectatu's* . .; et in his duobus septenariis non minus vere hiatur quam vocum *ego homo* syllaba posterior producitur. Fortasse retinendi sunt hiatus Merc. 1, 2, 78: *quin, sceleste,* | *abstrudebas* . . Bacch. 4, 4, 86: *at quidem hercle* | *est perdundum magis quam ad scribundum cita*; quamquam in Mercatore et facile et apte *eam* additur; in Bacchidibus vulgo editur *est* ⟨*ad*⟩ *perdundum*; cf. tamen sup. cap. II § 1 ext.

Sed veniamus ad tertiam septenarii sedem, in qua haec extant: 1. Aul. 4, 10, 8: *fateor peccavisse* | *et me culpam conmeritum scio*; 2. Epid. 2, 2, 97: *iam* | *igitur amota* | *ei erit omnis consultatio*;

[1]) cf. Ribbeck. de partic. Lat. p. 43 sq.

3. Truc. 2, 6, 60: *accipe hoc, abduce* | *hasce* | *hinc e conspectu Suras*; at primo loco *me* cum Bentleio interponendum est, idemque in codice Lipsiensi post *fateor* inseritur; secundo cum Lindemanno Goetzius *fuerit* pro *erit* substituit collato versu 2, 2, 41, in quo solus Ambrosianus *fuerit*, reliqui vitiose *erit* vel *erat* exhibent; tertio denique optime cum Kiesslingio scribitur *hoc* ⟨*atque*⟩ *abduce* (cf. Stich. 1, 2, 97 supra § 3), Schoellius utrumque hiatum sustulit, cum ederet *abduce* ⟨*Astaphium*⟩ *hasce* . . — Palatini codices perperam tradunt Pseud. 1, 3, 158: *ex multis exquire* | *illis unum, qui certus siet*; sed cum in Rescripto post *multis* adiciatur *atque*, recipiendum est *atque ex multis exquire illis* . . Vix opus est adscribi versum Men. 5, 9, 72: *o salve, insperate, multis annis* . ., in quo solus Vetus liber *annis multis* collocatum habet. De Merc. 5, 4, 16 v. supr. c. II § 7. — Alii hiatus veniam habent legitimam: Epid. 2, 2, 8; Men. 1, 2, 66, sive post tertium sive post quartum trochaeum non eliditur, v. cap. I § 1 et II § 7; Pseud. 4, 7, 79: *strenue mehercle* | *isti* . ., ubi tamen *ivisti* perplacet; Truc. 4, 3, 40: . . *hercle* | *idem* . . Omnino non hiatur post tertiam sedem: Amph. 2, 1, 51: *donec Sosia ille egomet fecit sibi uti crederem*; Bacch. 3, 6, 1: *reddidi patri* | *omne aurum* . . Capt. 5, 2, 2: *quid me oportet facere, ubi tu talis vir falsum autumas*? nam in secundo versu iambicum vocabulum *patri* non coniungitur (v. infra Sent. contr. I); in reliquis *egomet* et *ubi* in altera syllaba acuuntur, nisi forte *illic* aut *cubi* (v. Ritsch. Opusc. III 139; cf. Muell. Suppl. pros. p. 28 sq. c. adn.) ponere mavis.

Iam in quinto pede post brevem syllabam hiatus efficitur: 1. Bacch. 3, 3, 85: . . *egone* | *illam mulierem* (*Capitis non perdam*? . .) 2. Poen. 3, 1, 67: *quin etiam deciderint vobis femina* | *in talos velim*; 3. Pseud. 2, 4, 72: *avi sinistra, auspicio liquido* | *atque* | *ex sententia*; primo loco *egone* ⟨*ut*⟩ *illam*, tertio *atque ex* ⟨*mea*⟩ *sententia* verissime restituta sunt; in secundo versu Loewius *feminora* voluerat, sed versus huius scaenae a 64 ad 72 Plautinos non esse cum Goetzio Ussingio existimo. — Nullo negotio hiatus eximas: Epid. 5, 2, 37: *sed quis east mulier*? — *Tui gnati amica, ut omnem* ⟨*rem*⟩ *scias*; Pers. 4, 4, 8: *quarta invidia, quinta ambitio, sexta* | *obtrectatio*; Pers. 4, 4, 50: . . *atque* | *ipse itidem roga*; Truc. 2, 6, 28: . . *quidem ille* | *est*. — *Quid postea*? hoc enim loco haud dubie *illic* in textum recipiendum est. In priore Persae versu Ritschelius *autem* indidit, idemque probarem, nisi multo facilius *sextaque* reponeretur; cf. supr. § 1 ad Mil. 2, 2, 112. In posteriore *ipsus* scribere simplicissimum est; sed cum in Ambrosiano codice *a* . . *bis*, non *abi* Ritschelio apparuerit, nescio an restituendum sit *adi sis*. Idem Rescriptus verum servavit: Pseud. 1, 3, 141: . . *posse opinor facere me officium meum*, ubi *me* in reliquis libris intercidit. — Duo exempla huc non pertinent: Aul. 2, 2, 49, in quo *te* pronomen arsim explet; cf. Ritsch. N. exc. 1, 42; Curc. 5, 3, 49: *placidum te hodie reddam*. — CA. *Age ergo recipe* | *actutum*. — TH.

Licet; sic codices; sed optime verbum *actutum* militi, *licet* Cappadoci tribuit Ussingius, ita ut post *recipe* persona mutetur.

Pauca leguntur in sexto trochaeo 1. Merc. 5, 2, 87: . . *me decipere* | *haud potes*; 2. Poen. 3, 1, 35: *quidquid est pauxillulum illuc, nostrum id omne* | *intus est;* ibi Niemeyerus *memet*, Bergkius *me decipere* ⟨*es*⟩ *haud potis* scribenda esse coniecerunt; hic Ussingius *et* particulam addidit. — Praeterea Palatini praebent Pers. 4, 3, 60: . . *hasce* | *attulit*; sed *hasce huc attulit* ex Ambrosiano restituitur. Amphitruonis vero versum 1, 1, 116: . . *obdormisse* | *ebrium* forma *obdormivisse* sanandum certissimum est.

Quoniam senarios septenariosque pertractavi, nunc de iambicis octonariis et septenariis dicendum est. Neque enim in octonario trochaico exemplum invenitur, quia Pseudoli versus 1, 2, 1: *exite, agite* | *ite, ignavi* . . ex Ambrosiano corrigitur, quippe qui habeat *exite, agite exite* . . — In iambico igitur octonario brevis syllaba vocali excipitur 1. Amph. 1, 1, 97: *haec illic est pugnata pugna* | *usque a mani ad vesperum*; qui hiatus probabili ratione nondum expulsus est, nisi Pyladis transmutationem *pugna ab usque mani ad* . . vindicas: et *ab usque, ad usque, in usque* posteriores poetae non numquam posuerunt. Goetzio Loewioque in mentem venit *pugna* ⟨*inde*⟩ *a mani usque ad vesperum.* — *Ipsus*, non *ipse* scribendum est sicut Trin. 1, 2, 75 in v. Capt. 4, 1, 10: *tantum adfero, quantum ipse* | *a dis optat, atque etiam amplius.* Breviter attingam versum Epid. 1, 1, 24, in quo Ambrosianus *hominem* errore omisit; v. supr. cap. II § 7.

In septenario iambico denique hiatur: 1. Most. 1, 3, 77: *ut ego exheredem me bonis faciam atque* | *haec sit heres*; in quo *bonis faciam* cum Vaticano Vetus adfert; neque *faciam bonis* quod in Decurtato est ferri potest, cum in quarto pede ante caesuram legitimam anapaesto locus non sit. Ritschelius igitur *meis bonis me faciam* edidit, quod probabilius scribitur *me bonis* ⟨*meis*⟩ *faciam atque haec* . . — Nulla hiatus testimonia sunt: Epid. 3, 2, 42: *nimis doctus ille* | *ad male* . . Pseud. 1, 2, 20: . . *plagigera genera* | *hominum*; nam priore loco non *illic*, sed *ille est*, posteriore *plagigerula* (de quo v. Lor. adn.) emendanda sunt. In Mercatore Rescriptus ille quidem exhibet Merc. 3, 1, 17: *rogare* | *unum hoc te volo* . .; Palatini recte transponunt *rogare hoc unum te volo.* — Duo post appellationem hiatus removendi non sunt: Asin. 3, 3, 26: *o Libane,* | *ut miser est homo* . . Most. 4, 2, 3: *Phanisce*; | *etiam respice* . .

Haec quidem quae inde a pagina 85 percensuimus, omnia eius hiatus exempla sunt, qui in codicibus post breves vocales efficiatur. Eorum igitur parti aliunde excusatio datur; alia pars non in omnibus libris vitiose traditur, alia obtinere aliquem numerum omnino non potest, quod aperta corruptelae indicia prae se fert. Qui vero supersunt loci non solum quam maxime pauci sunt verum

etiam lenissima mutatione in integrum restituuntur. Qua re cum post longas vocales saepissime, post breves nusquam fere hietur, ipse facile iudicabis, quam vere longas vocales cum hiatu corripi posse censeamus.

Sed in enumerando eos hiatus supra praeteriimus, in quibus personae mutatio aut incisio legitima excusari potest et excusata est (v. sup. c. II § 1). Ii enim nostrae opinioni obesse minime possunt, etiamsi magno numero legerentur; nunc vero haud ita crebro inveniuntur. Nam personae mutatae excusatione hi senarii defenduntur: Asin, 4, 1, 10: *addone?* | — *Adde*, *et scribas*. *vide plane et probe*; Pseud. 1, 1, 29: *lege vel tabellas redde.* | — *Immo enim perlegam*; Pers. 1, 3, 79: *πόθεν ornamenta?* | — *Abs chorago sumito*; Aul. 3, 6, 34, de quo v. supr. c. II § 7; Merc. 4, 4, 22: *mihi quidem hercle.* | — *Ita me amabit Iuppiter*; Poen. 1, 1, 45: *non scis?* — *Non hercle.* | — *At ego iam faxo scies*; at valde dignum quod spectemus id est, quod tertium exemplum in caesura, tres posteriores post *hercle* orationem finitam habent. — Tres possunt accedere: Poen. 1, 1, 23: *mihi quidem hercle.* | — *Immo mihi.* — *Istuc mavelim*, ubi Spengelius (Plaut. p. 57) *immó mihi* pronuntiari vult; Merc. 4, 3, 33: *non tu scis, quae sit illa?* | — *Immo iam scio*; Trin. 3, 3, 61: *paterni signum nosse.* | — *Etiam tu taces?* quamquam *illaec* et *novisse* facillime reponuntur. — Detrahendus autem est Poenuli versus, in quo *inis* cum Ussingio, non cum libris *is* scribendum: Poen. 3, 3, 85: *conplexum contractare*.. — *Inis, leno, viam.*

Paulo plura exempla ex septenariis adferuntur: Amph. 5, 1, 57: . . *ambo capita.* | — *Ei mihi!* Merc. 1, 2, 71: *qui potuit videre?* | — *Oculis* . . Merc. 5, 2, 25: . . *bene valete.* | — *Ilico*; Merc. 5, 2, 87: . . *Charine.* | — *Erras* . . Merc. 5, 2, 113: . . *est irata* . . | — *I modo*; Mil. 2, 3, 32: *certum est facere.* | — *Hic te opperiar* . .; Muellerus intericiebat *ita*, quod tamen, ne longius abeamus, etiam 2, 4, 42 abest. Poen. 1, 2, 116: *eamus, mea germana.* | — *Age sis ut lubet* . . In incisione persona mutatur in his versibus: Men. 1, 2, 46: *te morare, mihi quom obloquere.* | — *Oculum ecfodito per solum*, ubi de *quom* non coniuncto cogitari non debet. Men. 5, 2, 115: . *mihin equis iunctis minare?* | — *Ecce Apollo denuo*; Mil. 4, 8, 20, de quo cf. supr. c. I § 2 et II 2. Pers. 4, 3, 47: *quae istaec lucrifica est Fortuna?* | — *Istas, quae norunt, roga*; sic Ambrosianus; Palatini transponunt *fortuna lucrifica est.* Poen. 1, 2, 100: *at ego amo hanc.* — *At ego esse et bibere.* | — *Eho tu* . . (spernendum videtur quod in Rescripto est *amabo*); Truc. 5, 29: *at ego ad te ibam, mea delicia.* | — *Hercle vero?* — *Serio.* — Dubii esse possumus, num hos septenarios adscribamus: Mil. 4, 8, 47: *multo quam* | *alii libertus esse.* | — *Habe animum bonum*; cum libri tradant *habeo bonum animum*, poni potest *habeto bonum animum*; sed vide Epid. 4, 2, 31. Most. 5, 1, 35: *vendidisse.* | — *Eho an negavit sibi datum argentum, obsecro?* Poen. 1, 2, 134: *bellule hercle.* | — *I dierecte in maxumam malam crucem*; in hoc versu vocem

dierecte ditrochaeum efficere posse supra vidimus; de Mostellariae versu cf. Speng. Plaut. p. 202 c. adn. Most. 4, 2, 59: *aio.* — *Atque eam manu emisisse?* | — *Aio.* — *Et postquam eius hinc pater*; sic Ritschelius Lorenzius dimetiuntur; Lachmannus (ad Lucr. III 374 p. 162) alterum *aio* non coniungi, Muellerus voculam *eius* pro bisyllaba accipi voluit. Pers. 2, 2, 68; v. supra c. II § 1. Vix memorandus est Poen. 4, 2, 61: *eo facilius facere poterit.* — *At* . ., ubi Decurtatus Vaticanus verborum *facere poterit* ordinem invertunt.

Singula exempla in septenariis iambicis, in iambicis et trochaicis octonariis extant: Aul. 3, 2, 33: *argenti viginti minas habesne?* | — *Hariolare*; Men. 5, 7, 14: *ecquis suppetias mihi audet ferre?* | — *Ego,* | *ere, audacissime*; Amph. 2, 1, 25: *utinam ita essem.* — *Optas, quae facta.* | — *Egone?* — *Tu istic*: *ubi bibisti?*

His hiatibus in finita oratione factis eos subiciam, qui in caesuris accidunt: Amph. 3, 3, 21: *nunc tu divine* | *huc fac adsis Sosia*; Merc. 4, 4, 2: *coquendast cena.* | *atque quom recogito*; Most. 3, 1, 155: *ita mea consilia* | *undique oppugnas male*; Trin. 1, 2, 148: *em mea malefacta,* | *em meam avaritiam tibi*[1]); at ex his senariis sola incisione unus defenditur. — In eodem numero sunt, nisi verbum *ait* bisyllabum, *ego* iambicum esse existimas: Men. 3, 3, 1: *Menaechme, amare* | *ait te* . . Trin. 1, 2, 136: *sed nunc rogare* | *ego vicissim te volo*; Truc. 2, 4, 6: *vah, vapulo hercle* | *ego nunc* . . Duobus locis, Mil. 4, 7, 25 et Stich. 1, 3, 84, in alia sede hiatum statui posse supra c. II § 1 et 2 diximus. — Vix dubitari potest quin *illic* et *laudavisse* iure ab editoribus restituantur in his versibus: Curc. 5, 2, 67: . . *quia ille* | *ita repromisit mihi*; Most. 3, 2, 73: *nam sibi laudasse* | *ait hasce architectonem*; et *laudavisse* in Ambrosiano scriptum fuisse Studemundus Annal. 113 a. 1876 p. 63 affirmat. — Certe eximendi sunt Aul. 2, 6, 5: *Cererin, Strobile,* | *has facturi nuptias?* sic libri Plautini exhibent; Festus prodit *has sunt facturi,* Macrobius *hi sunt facturi,* eumque recte sequuntur Pylades Goetzius; Bacch. 3, 4, 17: *numquam edepol viva me inridebit* . ., ubi *me* solus Vetus praetermisit, ceteri cum Rescripto servaverunt; Epid. 3, 3, 8: (*vel* [*quasi*] *egomet, qui dudum fili causa coeperam*) *Ego me excruciare animi, quasi quid filius*; Muellerus bene scribi iubet: (*vel ego qui* . . *coeperam*) *Egomet me* . .; Merc. 1, 1, 81: *amens amansque vi* | *animum offirmo meum*; *vi* pro *ut* optime reposuit Ussingius; Poen. 3, 4, 8: *ibi quae relicua* | *alia fabulabimur*; *quae* ⟨*sunt*⟩ *reliqua* Ussingius edidit, Geppertus *quaevis*; de *relicuus* forma v. Lachmann. ad Lucr. V 679 p. 305; Speng. Plaut. 87; Uss. Proleg. 215 et ad Asin. 231. De Stichi v. 3, 2, 33 v. cap. I § 1.

Restat ut trochaicos tetrametros in caesura hiulcos adscribam. Octonarii igitur huc pertinent duo: Pers. 2, 2, 19: *Paegnium hic*

[1]) cf. Brix. Emend. in Pl. Capt. Liegn. 1862 p. 11.

quidem est. — *Sophoclidisca* | *haec peculiarist eius*; Truc. 2, 7, 51, de quo cf. supr. c. I § 1. — Septenarii autem hi: Amph. 1, 3, 25; cf. supra c. II § 2. Amph. 1, 3, 47: *prius tua* | *opinione* | *hic adero*; *bonum animum habe*; Amph. 4, 1, 7: *nunc domum ibo atque ex uxore* | *hanc rem pergam exquirere*; Amph. 4, 2, 12: *quidum?* — *Quia senecta aetate* | *a me mendicas malum*; Asin. 5, 2, 1: *ain tu, meum virum hic potare,* | *obsecro, cum filio*; Asin. 5, 2, 33: *quid fatere?* — *Me ex amore* | *huius corruptum oppido*; Capt. 3, 4, 41: *nam ille quidem, quem tu hunc memoras esse,* | *hodie hinc abiit Alidem*; quoniam proceleusmaticus *ille quidem* parum placet, Ussingius *tu* delet, Fleckeisenus *esse* post *tu* transfert. Curc. 1, 3, 21: *verum totum insanum amare* | *hoc est, quod meus erus facit*; cf. Luchs. in Studem. Stud. I p. 60. Men. 5, 9, 32: *memorat. meliust nos adire* | *atque hunc percontarier*; Merc. 5, 3, 1: *quasi tu numquam quidquam adsimile* | *huius facti feceris*; Mil. 5, 18: *iure te non nociturum esse* | *homini de hac re nemini*; Most. 5, 2, 35: (*nunc te obsecro,*) *Stultitiae adulescentiaeque* | *eius ignoscas. tuost*; particula *ut* interponi potest. Poen. 1, 2, 174: *sic enim diceres, sceleste:* | *huius voluptas, te obsecro*; Poen. 5, 5, 11, v. cap. II § 1; Stich. 5, 4, 48: *uno cantharo potare,* | *unum scortum ducere*; editores *et* particulam iniciunt. — Neque aliter breves vocales in incisione non eliduntur, si vocabula *adest apud egomet ero mihi* in priore, non in altera syllaba acuimus: Amph. 5, 1, 12: . . *Alcumena,* | *adest auxilium* . .; Epid. 2, 2, 7: . . *haerere* | *apud nescio quam fidicinam*; Truc. 2, 2, 45: . . *perire* | *apud nos* . . Men. 5, 5, 37: *egomet haec te vidi facere:* | *egomet haec te* | *arguo*; Poen. 1, 2, 157: *noli amabo, suscensere* | *ero meo causa mea*; Pseud. 4, 7, 134: *Pseudolus mihi centuriata* | *habuit capitis comitia*; aut si voces *deerrare dierectus* per synaloephen legimus his locis: Men. 5, 9, 54: *inter homines me deerrare* | *a patre* . . Merc. 1, 2, 72: *in' hinc dierectus? nugare* | *in re* . . (*nugaris* Bothius Bentleius voluerunt). Melius *med ted* formae in arsi ponuntur: Capt. 5, 2, 23: *serva, Iuppiter supreme, et me et meum gnatum mihi*; Mil. 5, 15: *obsecro hercle te, ut mea verba audias prius quam secat*; Trin. 2, 2, 30: *nimio satiust, ut opust te ita esse, quam ut animo lubet.* — Compluribus locis aut in incisione aut in alia versus sede hiatur: Asin. 5, 2, 37; Epid. 1, 2, 33; v. cap. II § 7; Aul. 2, 2, 55; Truc. 4, 3, 78; v. cap. I § 1; Epid. 2, 2, 94; v. cap. II § 1; Mil. 5, 9, in quo versu certe vocula *uxorem* integra manet, v. c. II § 7. — Duo hiatus nullo negotio ita removentur, ut *abduxisti emunxisti* reponantur: Curc. 5, 2, 16, de quo v. supr. c. II § 2; Most. 5, 1, 61: *immo etiam cerebrum quoque omne* | *e capite emunxti' meo.* Aliis de causis ambiguum est iudicium: Bacch. 3, 3, 42: *sit magister quasi lucerna* | *uncto expretus linteo;* Truc. 2, 6, 60; de hoc versu v. paulo supra; in illo verbum *expretus* depravatum videtur. Coniectura nititur (cf. sup. II § 1) Stich. 4, 2, 16: *quid ais, Pamphile?* — *Ad cenam hercle* | *alio promisi foras.* — Detrahendi deni-

que videntur: Amph. 2, 2, 107: *sed, mulier, postquam experrecta | es, prodigiali Iovi*; Asin. 5, 2, 44: *dic amabo, an foetet anima | uxoris tuae?* — *Nauteam*; nam utroque loco Nonii scripturam probabimus, qui *te* post *es* inserit, atque *tuae* | *uxori* transponit (v. Lachm. ad Lucr. III 954 p. 200); Curc. 5, 2, 14: *cum bolis, cum bulbis? redde | etiam* . ., de quo vide Langen. Symb. p. 160 sq.; Merc. 5, 4, 23: *vacuum esse istac ted aetate | his decebat noxiis*; hunc versum delendum, versuum 21 et 22 ordinem immutandum esse Goetzius ostendit. A Bothio et a Seyfferto corriguntur: Pers. 2, 2, 52: *sed ego cesso.* — *Mane.* — *Molesta es.* — *Ergo* ⟨*ero*⟩ *quoque, nisi scio*; Poen. 1, 2, 158: *ego faxo, si non irata es,* ⟨*aes*⟩ *nimium pro te dabit.* Ex codicibus restituuntur: Merc. 5, 2, 45: *maxume quod vis audire, id audies* . .; pronomen *id* in Vetere intercidit, ab reliquis libris servatum est; contra Vetus exhibet Mil. 4, 4, 60: *iam exiturum esse intus.* — *Celebre est apud nos imperium tuom* [*est*], ubi *est* (h. e. ē) in ceteris facillime excidit; ex Ambrosiano recte adferuntur: Mil. 3, 1, 89: *hercle vero liberum esse med, id multo lepidiust*; Mil. 4, 8, 12: . . *facere uti fluat facetiis*; Palatini in altero *esse id multo est lepidius,* in altero *ut fluat* praebent.

Haec igitur exempla, ubi breves vocales ultimae in personae mutatione et in caesura legitima vocalibus excipiuntur, si cum magna ceterorum copia comparamus, pauca sunt in septenario, in senario vero haud multum abest quin nulla sint. Neque temere aut casu evenisse potest, ut etiam in his versuum sedibus fere post longas vocales hiatus acciderit. Immo hoc Plautum intendisse censeo, ut tales quoque vocalium concursus, maximeque ii qui in senarii incisione fierent, eadem correptionis excusatione defenderentur qua illi qui ceteris versuum locis et in media oratione efficerentur: nec tamen adeo angustos fines terminosque poetam sibi constituisse, ut in oratione finita et in caesurae sede, ubi propter versuum conformationem oratio paulisper intermittitur, numquam a consuetudine sua recederet neque ullo loco brevem admitteret syllabam.

Sed ut sit iam huius disputationis modus: unum est quod nostrae coniecturae officere videatur, illam legem dico supra (cap. I § 1) laudatam, qua ante extremum creticum iambici senarii et septenarii trochaici correpta thesis poetis non placuerit. At primum eadem nostra opinione non numquam fit, ut duae breves syllabae in quinta et sexta thesibus efficiantur; v. supra l. l. et Amph. 4, 3, 15; Men. 4, 1, 10; Merc. 1, 1, 83; 3, 2, 9; Mil. 1, 1, 65; 3, 1, 125; 4, 8, 4 et 28; Most. 2, 1, 45; Pers. 4, 7, 7; Poen. 1, 2, 77; 5, 2, 92; Pseud. 3, 2, 11; 3, 5, 1; Stich. 5, 6, 3; Trin. 2, 4, 119; Truc. 2, 4, 43; 4, 3, 58 (*si* | *aquam bibit*); atque haec quidem in vocabulis monosyllabis; in polysyllabis Men. 3, 2, 43; 3, 3, 1; Most. 3, 1, 101; Pers. 2, 2, 38 (*me quidem* | *addecet* Both.); Poen. 4, 2, 90; Stich. 2, 2, 66 al. Deinde illa est observatio quaedam — sive elegantiam dicere malueris —, non rata lex; et in

Trinummi fabula teste Ritschelio (Prol. Trin. p. 210) senarii circiter quinquaginta, h. e. pars ferme duodecima, totidemque septenarii, h. e. pars nona, huic legi adversantur. Qua de causa quod ad veritatem illius observationis adtinet, nullius momenti est, utrum ad illa correptae thesis exempla pauca adiciantur necne.

Sed haec quidem hactenus.

Alteram huius disputationis partem una cum tertia, cuius summam infra posui, in medium proferam, cum primum Cas. Cist. Rud. fabulae ad optimos codices castigatae erunt.

Tertiae partis summa

(Sentent. controv. I):

Voces iambicas et in vocalem vel in m litteram excidentes a Plauto ita cum hiatu poni potuisse, ut longam vocalem sub ictu positam retineant, Lachmannus docet. Nec tamen adeo angustis terminis hiatus in arsi factus circumscribendus est; immo idem quod in iambica cadit

I. in vocabula monosyllaba quae longa vocali finiuntur;

II. in vocabula cretica;

III. in ea vocabula bisyllaba, quorum vocalem extremam poeta et brevem et longam facit, velut *mihi abi ubi eo modo ego*.

Corrigenda.

pag. 11 v. 31 pro *haecte* lege *haec te*.
p. 25 v. 14 addas Poenuli versum 5, 2, 8 (*creta est profecto* | *horunc hominum oratio*), quem in subsequenti pagina omittas.
p. 39 adn. 2 lege 1870.
p. 71 v. 2 haec inserantur: 'Fortasse adiciendus est 7. Stich. 3, 1, 25 b, qui versus in solo Ambrosiano sic fere servatur: *ad cenam* | *ibo*. — *Si vocatu's, censeo*'.

Praeterea alii versus non multi hic illic addi poterant, quos tamen hoc loco enumerare nolo.

Berolini, typis expressit W. Pormetter.